

# *Sententiarum receptarum libri quinque qui vulgo Iulio Paulo adhuc tribuntur (\*)*

## **Liber Primus**

[1.1a] – 1. Consiliario eo tempore quo adsidet negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est, in alienum autem non prohibetur. 2. Filii libertorum libertorumque liberti paterni et patroni manumissoris domicilium aut originem sequuntur. 3. Vidua mulier amissi mariti domicilium retinet exemplo clarissimae personae per maritum factae: sed utrumque aliis intervenientibus nuptiis permutatur. 4. Municipis sunt liberti et in eo loco, ubi ipsi domicilium sua voluntate tulerunt, nec aliquod ex hoc origini patroni faciunt praeiudicium et utrobique muneribus adstringuntur. 5. Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet. 6. Senator ordine motus ad originalem patriam, nisi hoc specialiter impetraverit, non restituitur. 7. Senatores et eorum filii filiaeque quoquo tempore nati nataeve, itemque nepotes pronepotes et proneptes ex filio origini eximuntur, licet municipalem retineant dignitatem. 8. Senatores, qui liberum comiteum, id est ubi velint morandi arbitrium impetraverunt, domicilium in urbe retinent. 9. Qui fenus exercent, omnibus patrimonii intributionibus fungi debent, etsi possessionem non habeant. 10. Honores et munera non ordinatione, sed potioribus quibusque iniungenda sunt. 11. Surdus et mutus si in totum non audiant aut non loquantur, ab honoribus civilibus, non etiam a muneribus excusantur. 12. Is, qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus plebei fungi prohibentur. 13. Ad decurionatum filii ita demum pater non consentit, si contrariam voluntatem vel apud acta praesidis vel apud ipsum ordinem vel quo alio modo contestatus sit. 14. Aestimationem honoris aut muneris in pecunia pro administratione offerentes audiendi non sunt. 15. Qui pro honore pecuniam promisit, si solvere eam coepit, totam praestare operis inchoati exemplo cogendus est. 16. Invitus filius pro patre rem publicam salvam fore cavere non cogitur. 17. Defensionem rei publicae amplius quam semel suscipere nemo cogitur, nisi id fieri necessitas postulet. 18. Ab his oneribus, quae possessionibus vel patrimonio indicuntur, nulla privilegia praestant vacationem. 19. Corpus mensurarum frumenti iuxta annonam urbis habet vacationem; in provinciis non item. 20. Angariorum praestatio et recipiendi hospitis necessitas et militi et liberalium artium professoribus inter cetera remissa sunt. 21. Auctis post appellationem medio tempore facultatibus paupertatis obtentu non excusantur. 22. Defensores rei publicae ab honoribus et muneribus eodem tempore vacant. 23. Legato, qui publicum negotium tuitus sit, intra tempora va-

---

\*) Il testo qui proposto delle «Pauli Receptae Sententiae» – che segue pur semplificandola da un punto di vista critico la ricostruzione edita da Giovanni Baviera in «Fontes Iuris Romani Antejustiniani», II, «Auctores» (Firenze, 1968), che a sua volta si rifaceva a quella curata da Paul Krüger in «Collectio Librorum Iuris Antejustiniani» (Berlino, 1878) – non ha alcuna ambizione filologica, ma si limita ad essere il supporto – destinato in particolare all’edizione cartacea – per la trasformazione del testo in una struttura ipertestuale («IntraText»), che contiene il testo dell’opera leggibile sia partendo dal sommario che dalle concordanze, la lista – collegata alle concordanze – delle parole che vi compaiono (lista alfabetica, di frequenza, delle parole rovesciate e per lunghezza), le concordanze (cioè l’elenco di brevi citazioni dei passi nei quali si trova ogni parola presente nel testo) e le statistiche delle forme verbali che compaiono nell’opera. L’«IntraText» delle «Pauli Receptae Sententiae» comparirà nel sito Internet della rivista ma, ovviamente, non nell’edizione cartacea di quest’ultima.

cationis praestituta rursus eiusdem negotii defensio mandari non potest. **24.** Comites praesidum et proconsulum procuratorumve Caesaris a muneribus vel honoribus et tutelis vacant. **25.** Legatus antequam officio legationis functus sit, in rem suam nihil agere potest, exceptis his quae ad iniuriam eius vel damnum parata sunt. **26.** Si quis in munere legationis, antequam ad patriam reverteretur, decessit, sumptus qui proficiscenti sunt dati non restituuntur. **27.** Decuriones pretio viliori frumentum, quod annona temporalis est patriae suae, praestare non sunt cogendi. **28.** Nisi ad opus novum pecunia specialiter legata sit, vetera ex hac reficienda sunt. **29.** Ad curatoris rei publicae officium spectat, ut dirutae domus a dominis extruantur. **30.** Domum sumptu publico extractam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum usuris restituere noluerit, iure eam res publica distrahit.

**[1.1. De pactis et conventis] – 1.** De his rebus pacisci possumus, de quibus transigere licet: ex his enim pacti obligatio solummodo nascitur. **2.** In bonae fidei contractibus pactum conventum alio pacto dissolvitur, et licet exceptionem pariat, replicatione tamen excluditur. **3.** Pacto convento aquiliana stipulatio subici solet. Sed consultius est huic poenam quoque subiungere, quia rescisso quoquo modo pacto poena ex stipulatu peti potest. **4.** Neque contra leges neque contra bonos mores pacisci possumus. **4a.** Pactum contra ius aut constitutiones aut senatus consulta interpositum nihil momenti habet. **5.** De rebus litigiosis et convenire et transigere possumus. **5a.** Post rem iudicatam pactum, nisi donationis causa interponatur, servari non potest. **6.** Functio dotis pacto mutari non potest, quia privata conventio iuri publico nihil derogat. **7.** De criminibus propter infamiam nemo cum adversario pacisci potest.

**[1.1b] – 1.** Parentes naturales in ius vocare nemo potest: una est enim omnibus parentibus servanda reverentia. **2.** Ingratus libertus est, qui patrono obsequium non praestat, vel res eius filiorumve tutelam administrare detractat.

**[1.2. De procuratoribus et cognitoribus] – 1.** Omnes infames, qui postulare prohibentur, cognitores fieri non posse etiam volentibus adversariis. **2.** Femina in rem suam cognitoriam operam suscipere non prohibetur. **3.** In rem suam cognitor procuratorve ille fieri potest, qui pro omnibus postulat. **4.** Actio iudicati non solum in dominum aut domino, sed etiam heredi et in heredem datur.

**[1.3. De procuratoribus] – 1.** Mandari potest procuratio praesenti et nudis verbis et per litteras et per nuntium et apud acta praesidis et magistratus. **2.** Procurator aut ad litem aut ad omne negotium aut ad partem negotii aut ad res administrandas datur. **3.** Voluntarius procurator, qui se negotiis alienis offert, rem ratam dominum habiturum cavere debet. **4.** Cum quo agitur suo nomine, si in rem actio est, pro praede litis et vindiciarum adversario satisfacere cogitur aut iudicatum solvi ..... Si in personam sit actio, ..... in rem pro praede litis et vindiciarum ..... **5.** Actoris procurator non solum absentem defendere, sed et rem ratam dominum habiturum satisfacere cogitur. **6.** Procurator antequam ..... accipere iudicium ..... **7.** Petitoris procurator rem ratam dominum habiturum desiderante adversario satisfacere cogendus est, quia nemo in re aliena idoneus est sine satisfactione. **8.** Si satis non det procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur. **9.** Actoris procurator non in rem suam datus propter impensas quas in litem fecit potest desiderare, ut sibi ex iudicatione satis fiat, si dominus litis solvendo non sit. **10.** Absens reus causas absentiae per procuratorem reddere potest.

**[1.4. De negotiis gestis] – 1.** Qui negotia aliena gerit, et bonam fidem et exacte praestare tam diligentiam rebus eius pro quo intervenit praestare debet. **2.** Tutor post finitam tutelam si in administratione duret, actione negotiorum gestorum pupillo vel curatori eius tenebitur. **2a.** Litis contestatae tempore quaeri solet, an pupillus, cuius sine tutoris auctoritate negotia gesta sunt, locupletior sit ex ea re factus, cuius patitur actionem. **3.** Si pecuniae quis negotium gerat, usuras quoque totius temporis praestare cogitur et periculum eorum nominum quibus collocavit agnoscere, si litis tempore solvendo non sint: hoc enim in bonae fidei iudiciis servari convenit. **4.** Mater, quae filiorum suorum rebus intervenit, actione negotiorum gestorum et ipsis et eorum tutoribus tenebitur. **5.** Filius familias vel servus si negotium alicuius gerant, in patrem dominumve peculio tenus actio dabitur. **6.** Si pater vel dominus servo vel filio familias negotia aliena agenda commiserit, in solidum tenebitur. **7.** Pater si emancipati filii res sine ulla exceptione a se donatas administravit, filio actione negotio-

rum gestorum tenebitur. **8.** Qui, cum tutor curatorve non esset, pro tutore curatoreve res pupilli adultive administravit, actione negotiorum gestorum pro tutore curatoreve tenebitur. **9.** Actio negotiorum gestorum illi datur, cuius interest hoc iudicio experiri. **10.** Nec refert directa quis an utili actione agat vel conveniatur, quia in extraordinariis iudiciis, ubi conceptio formularum non observatur, haec subtilitas supervacua est, maxime cum utraque actio eiusdem potestatis est eundemque habet effectum.

**[1.5. De calumniatoribus] – 1.** Calumniosus est qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat. **2.** Et in privatis et in publicis iudiciis omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur.

**[1.6a. De fugitivis] – 1.** Servus a fugitivario comparatus intra decem annos manumitti contra prioris domini voluntatem non potest. **2.** Contra decretum amplissimi ordinis fugitivum in fuga constitutum nec emere nec vendere permissum est, inrogata poena in utrumque sestertiorum D milium. **3.** Limenarchae et stationarii fugitivos deprehensos recte in custodiam retinent. **4.** Magistratus municipales ad officium praesidis provinciae vel proconsulis comprehensos fugitivos recte transmittunt. **5.** Fugitivi in fundis fiscalibus quaeri et comprehendi possunt. **6.** Fugitivi, qui a domino non agnoscuntur, per officium praefecti vigilum distrahuntur. **7.** Intra triennium venditionis agniti fugitivi emptor pretium a fisco recipere potest.

**[1.6b. De reis institutis] – 1a.** Ab accusatione destitit qui cum adversario suo de compositione eius criminis quod intendebat fuerit locutus. **1b.** Animo ab accusatione destitit, qui affectum et animum accusandi deposuit. **1c.** Destitisse videtur, qui intra praefinitum accusationis a praeside tempus reum suum non peregit. **1d.** Nuntiatores, qui per notoriam indicia produnt, notoriis suis adistere iubentur. **1e.** Calumniae causa puniuntur, qui in fraudem alicuius librum vel testimonium aliudve quid conquisisse vel scripsisse vel in iudicium protulisse dicuntur. **1.** De his criminibus, de quibus quis absolutus est, ab eo qui accusavit refricari accusatio non potest. **2.** Filius accusatoris si hoc crimen, quod pater intendit, post liberatum reum persequi velit, ab accusatione removendus est. **3.** Crimen, in quo alius destitit vel victus discessit, alius obicere non prohibetur. **4.** Delator non est, qui protegendae causae suae gratia aliquid ad fiscum nuntiat.

**[1.7. De integri restitutione] – 1.** Integri restitutio est redintegrandae rei vel causae actio. **2.** Integri restitutionem praetor tribuit ex his causis, quae per metum dolum et status permutationem et iustum errorem et absentiam necessariam et infirmitatem aetatis gesta esse dicuntur. **3.** Integri restitutio plus quam semel non est decernenda: ideoque causa cognita decernitur. **4.** Integri restitutio aut in rem competit aut in personam. In rem actio competit, ut res ipsa qua de agitur revocetur; in personam aut quadrupli poena intra annum vel simpli post annum peti potest. **5.** Si aliquis, ut se de vi latronum vel hostium vel populi liberaret, aliquid mancipavit vel promisit, ad metum non pertinet: mercedem enim depulsi metus tribuit. **6.** Servus per metum mancipatus quidquid quaesierit vel stipulatus sit, ei acquirit qui vim passus est. **7.** Vis est maior rei impetus, qui repelli non potest. **8.** Qui quem in domo inclusit, ut sibi rem manciparet aut promitteret, extorsisse mancipationem videtur. **9.** Qui quem ferro vinxit, ut sibi aliquid traderet vel venderet, vim intulisse videtur. **10.** Qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius est momenti.

**[1.8. De dolo] – 1.** Dolus est, cum aliud agitur, aliud simulatur. **2.** Qui dolum aut metum adhibuit, ut res ad alium transiret, uterque de vi et dolo actione tenebitur.

**[1.9. De minoribus viginti et quinque annorum] 1.** Minor viginti et quinque annorum si aliquod flagitium admiserit, quod ad publicam coercionem spectet, ob hoc in integrum restitui non potest. **2.** Qui minori mandavit, ut negotia sua agat, ex eius persona in integrum restitui non potest, nisi minor sua sponte negotiis eius intervenerit. **3.** Si maior effectus rem, quam minor egit, pacto vel silentio comprobavit, adversus hoc quoque in integrum restitui frustra desiderat. **4.** Si minor minori heres existat, ex sua persona, non ex defuncti in integrum restitui potest. **4a.** Si minor viginti quinque annis filio familias minori pecuniam credidit, melior est causa consumentis, nisi locupletior ex hoc inveniatur litis contestatae tempore is qui accepit. **4b.** Minores si in iudicem compromiserunt et

tutore auctore stipulati sunt, integri restitutionem adversus talem obligationem iure desiderant. **5.** Minor se in his, quae fideiussit vel fidepromisit vel spondit vel mandavit, in integrum restituendo reum principalem non liberat. **5a.** Minor ancillam vendidit: si eam emptor manumiserit, ob hoc in integrum restitui non poterit, sed adversus emptorem quanti sua interest actionem habebit. **5b.** Mulier minor viginti quinque annis si pactione dotis deterior condicio eius fiat et tale pactum inierit, quod numquam maioris aetatis constitutae paciscerentur, atque ideo revocare velit, audienda est. **6.** Qui sciens prudensque se pro minore obligavit, si id consulto consilio fecit, licet minori succurratur, ipsi tamen non succurritur. **7.** Minor adversus emptorem in integrum restitutus pretio restituto fundum recipere potest: fructus enim in compensationem usurarum penes emptorem remanere placuit. **8.** Minor adversus distractiones eorum pignorum et fiduciarum, quas pater obligaverat, si non ita ut oportuit a creditore distractae sint, restitui in integrum potest.

**[1.9a]** Is, qui rei publicae causa afuturus erat, si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit, in integrum volens restitui non auditur.

**[1.10. De plus petendo]** – Plus petendo causa cadimus aut loco aut summa aut tempore aut qualitate: loco alibi, summa plus, tempore petendo ante tempus, qualitate eiusdem rei speciem meliorem postulantem.

**[1.11. De satisdando]** – **1.** Quotiens hereditas petitur, satisdatio iure desideratur et, si satis non detur, in petitorum hereditas transfertur: si petitor satisfacere noluerit, penes possessorem possessio remanebit: in pari enim causa potior est possessor. **2.** Usufructuarius et de utendo usufructu satisfacere debet perinde usurum, ac si ipse pater familias uteretur.

**[1.12. De iudiciis omnibus]** – **1.** Hi, qui falsa rescriptione usi fuerint, lege Cornelia de falsis puniuntur. **2.** Qui falsum nesciens allegavit, falsi poena non tenetur. **3.** In caput domini patronive nec servus nec libertus interrogari potest. **4.** Praegnantem neque torqueri neque damnari nisi post editum partum possunt. **5.** Qui rescriptum a principe falsa allegatione elicuerint, uti eo prohibentur. **6.** Qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit. **7.** Qui sine accusatoribus in custodiam recepti sunt, quaestio de his habenda non est, nisi si aliquibus suspicionibus urgeantur. **8.** Per minorem causam maiori cognitioni praeiudicium fieri non oportet: maior enim quaestio minorem causam ad se trahit. **9.** In crimine adulterii nulla danda dilatio est, nisi ut personae exhibeantur, aut iudex ex qualitate negotii motus hoc causa cognita permiserit.

**[1.13a. De iudicato]** – **1a.** Eum, pro quo quis apud officium cavit, exhibere cogitur. Item eum qui apud acta exhibiturum se esse quem promisit, etsi officio non caveat, ad exhibendum tamen cogitur. **1.** Qui exhibiturum se aliquem iudicio caverat, mortuo eo pro quo caverat periculo cautionis liberatur. **1b.** Acta apud se habita, si partes consentiant et iudex hoc permiserit, potest iubere ea die circumduci, nisi vel negotium vel lis terminata est. **1c.** De amplianda vel minuenda poena damnatorum post sententiam dictam sine principali auctoritate nihil est statuendum. **1d.** Contra indefensos minores tutorem vel curatorem non habentes nulla sententia proferenda est. **1e.** Contra pupillum indefensum eumque qui rei publicae causa abest vel minorem viginti quinque annis propositum peremptorium nihil momenti habet. **1f.** Is, qui ad maius auditorium vocatus est, si litem inchoatam deseruit, contumax non videtur. **1g.** Bonis venditis excipiuntur concubina et liberi naturales. **1h.** Res publica creditrix omnibus chirographariis creditoribus praefertur. **2.** Filius familias iussu patris manumittere potest, matris non potest. **3.** In eum, qui album raserit corruerit sustulerit mutaverit quidve aliud propositum edicendi causa turbaverit, extra ordinem punitur. **4.** Si id quod emptum est neque tradatur neque mancipetur, venditor cogi potest, ut tradat aut mancipet. **5.** Deteriorem servum facit, qui fugam suaserit et qui furtum, et qui mores eius corpusve corruerit. **6.** Qui ancillam alienam virginem immaturam corruerit, poena legis aquiliae tenebitur.

**[1.13b. Si hereditas vel quid aliud petatur]** – **1.** In petitione hereditatis ea veniunt, quae defunctus mortis tempore reliquit, vel ea, quae post mortem ante aditam hereditatem ex ea quaesita sunt. **2.** Possessor hereditatis pretia earum rerum, quas dolo alienavit, cum usuris praestare cogendus est. **3.** Rerum ex hereditate alienatarum aestimatio in arbitrio petitoris consistit. **4.** Petitio hereditatis,

cuius defunctus litem non erat contestatus, ad heredem non transmittitur. **5.** Hereditas pro ea parte peti debet, pro qua ad nos pertinet: alioquin plus petendi periculum incurrimus et causam perdimus. **6.** Qui petit hereditatem, ipse probare debet ad se magis quam ad eum qui possidet sive ex testamento sive ab intestato pertinere. **7.** Eas res, quas quis iuris sui esse putat, petere potest, ita tamen ut ipsi incumbat necessitas probandi eas ad se pertinere. **8.** Possessor hereditatis, qui ex ea fructus capere vel possidere neglexit, duplam eorum aestimationem praestare cogetur. **9.** Li fructus in restitutione praestandi sunt petitori, quos unusquisque diligens pater familias et honestus colligere potuisset.

**[1.14. De via publica] – 1a.** Si in agrum vicini viam publicam quis reiecerit, in tantum in eum viae receptae actio dabitur, quanti eius interest, cuius fundo iniuria inrogata est. **1.** Qui viam publicam exaravit, ad munitorem eius solus compellitur.

**[1.15. Si quadrupes damnum intulerit] – 1.** Si quadrupes pauperiem fecerit damnumve dederit quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni aestimationem subeat aut quadrupedem dedat: quod etiam lege pesolania de cane cavetur. **1a.** Si quis saevum canem habens in plateis vel in viis publicis in ligamen diurnis horis non redegerit, quidquid damni fecerit, a domino solvantur. **1b.** Si quis caballum quodve aliud animal habens scabidum ita ambulare permiserit, ut vicinorum gregibus permixtus proprium inferat morbum, quidquid damni per eum datum fuerit, similiter a domino sarciatur. **2.** Feram bestiam in ea parte, qua populo iter est, colligari praetor prohibet: et ideo, sive ab ipsa sive propter eam ab alio alteri damnum datum sit, pro modo admissi extra ordinem actio in dominum vel custodem datur, maxime si ex eo homo perierit. **3.** Ei, qui inritatu suo feram bestiam vel quamcumque aliam quadrupedem in se proritaverit eaque damnum dederit, neque in eius dominum neque in custodem actio datur. **4.** In circulatorum, qui serpentes circumferunt et proponunt, si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.

**[1.16. Finium regundorum.] –** In eum, qui per vim terminos deiecit vel amovit, extra ordinem animadvertitur.

**[1.17. De servitutibus] – 1.** Viam iter actum aquae ductum, qui biennio usus non est, amisisse videtur: nec enim ea usucapi possunt, quae non utendo amittuntur. **2.** Servitus hauriendae aquae vel ducendae biennio omissa intercidit et biennio usurpata recipitur. **3.** Servitus aquae ducendae vel hauriendae nisi ex capite vel ex fonte constitui non potest: hodie tamen ex quocumque loco constitui solet.

**[1.18. De familiae herciscundae] – 1.** Arbitrarius familiae herciscundae plus quam semel dari non potest: et ideo de his, quae divisa eo iudicio non sunt, communi dividendo arbitrarius postulatus partietur. **2.** De omnibus rebus hereditariis iudex cognoscere debet et celebrata divisione in semel de omnibus pronuntiet. **3.** Iudici familiae herciscundae convenit, ut ea, quae quis ex communi accepit, aut ipsa aut aestimationem eorum repraesentet, ut inter coheredes dividi possint. **4.** Iudex familiae herciscundae nec inter paucos coheredes, sed inter omnes dandus est: alioquin inutiliter datur. **5.** Omnes res, quae sociorum sunt, communi dividendo iudicio inter eos separantur.

**[1.19. Quemadmodum actiones per infitiationem duplentur] – 1.** Quaedam actiones si a reo infitientur, duplantur, velut iudicati, depensi, legati per damnationem relictis, damni iniuriarum legis Aquiliae, item de modo agri, cum a venditore emptor deceptus est. **2.** Ex his causis, quae infitiatione duplantur, pacto decidi non potest.

**[1.20. De fideiussore et sponsore] –** Inter fideiussores ex edicto praetoris, si solvendo sint, licet singuli in solidum teneantur, obligatio dividetur.

**[1.20a] –** In dardanarios propter falsum mensurarum modum ob utilitatem popularis annonae pro modo admissi extra ordinem vindicari placuit.

**[1.21. De sepulchris et lugendis] – 1.** Ob incursum fluminis vel metum ruinae corpus iam perpetuae sepulturae traditum sollempnibus redditis sacrificiis per noctem in alium locum transferri potest. **2.** Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis: et qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur. **3.** Intra muros civitatis corpus sepulturae dari non potest vel ustrina fieri. **4.** Qui corpus perpetuae sepulturae traditum vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit et so-

lis radiis ostenderit, piaculum committit: atque ideo, si honestior sit, in insulam, si humilior in metallum dari solet. **5.** Qui sepulchrum violaverint aut de sepulchro aliquid sustulerint, pro personarum qualitate aut in metallum dantur aut in insulam deportantur. **6.** Qui sepulchrum alienum effregerit vel aperuerit eoque mortuum suum alienumve intulerit, sepulchrum violasse videtur. **7.** Vendito fundo religiosa loca ad emptorem non transeunt nec in his ius inferre mortuum habet. **8.** Qui monumento inscriptos titulos eraserit vel statuam everterit vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve sustulerit, sepulchrum violasse videtur. **9.** In eo sarcophago vel solo, ubi corpus iam depositum est, aliud corpus inferri non potest, et qui intulerit reus sepulchri violati postulari potest. **10.** Qui alienum mortuum sepelierit, si in funus eius aliquid impenderit, recipere id ab herede vel a patre vel a domino potest. **11.** Maritus id quod in funus uxoris impendit ex dote retinere potest. **12.** Neque iuxta monumentum neque supra monumentum habitandi ius est: attactu enim conversationis humanae piaculum admittitur: et qui contra ea fecerit, pro qualitate personae vel opere publico vel exilio multatur. **13.** Parentes et filii maiores sex annis anno lugeri possunt, minores mense: maritus decem mensibus et cognati proximioris gradus octo. Qui contra fecerit, infamium numero habetur. **14.** Qui luget, abstinere debet a conviviis ornamentis purpura et alba veste. **15.** Quidquid in funus erogatur, inter aes alienum primo loco deducitur. **16.** Corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt.

## Liber Secundus

**[2.1. De rebus creditis et de iureiurando] – 1a.** Praesidis provinciae officiales, quia perpetui sunt, mutuam pecuniam dare et fenebrem exercere possunt. **1b.** Praeses provinciae mutuam pecuniam fenebrem sumere non prohibetur. **1.** In pecuniariis causis si alter ex litigatoribus iusiurandum deferat, audiendus est: hoc enim et compendio litium et aequitatis ratione provisum est. **2.** Deferre iusiurandum prior actor potest: contrarium autem de calumnia iusiurandum reo competit. **3.** Si, reus cum iurare velit, actor illi necessitatem iurisiurandi remisit et hoc liquido appareat, actio in eum non datur. **4.** Heredi eius cum quo contractum est iusiurandum deferri non potest, quoniam contractum ignorare potest. **5.** Si qui de debito quocumque modo confessus docetur, ex ea re actio creditori non datur, sed ad solutionem compellitur.

**[2.2. De pecunia constituta] – 1.** Si id, quod mihi L. Titius debet, soluturum te constituas, teneris actione pecuniae constitutae. **2.** Idem est et si ei qui bona fide mihi servit constitutum fuerit. **3.** Si quis duobus pecuniam constituerit *tibi aut Titio*, etsi stricto iure propria actione pecuniae constitutae manet obligatus, etiamsi Titio solverit, tamen per exceptionem adiuvatur.

**[2.3. De contractibus.] –** Stipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondet: velut *spondes? spondeo: dabis? dabo: promittis? promitto: fidei tuae erit? fidei meae erit:* et tam pure quam sub condicione concipi potest.

**[2.4. De commodato et deposito pignore fiduciave] – 1.** Quidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impensum est, a domino recipi potest. **2.** Si facto incendio ruina naufragio aut quo alio simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is cui commodata est, nisi forte, cum posset rem commodatam salvam facere, suam praetulit. **3.** Servus vel equus a latronibus vel in bello occisi, si in aliam causam commodati sunt, actio commodati datur: custodia enim et diligentia rei commodatae praestanda est. **4.** Si rem aestimatam tibi dedero, ut ea distracta pretium ad me deferres, eaque perierit: si quidem ego te rogavi, meo periculo perit: si tu de vendenda promisisti, tuo periculo perit.

**[2.5. De pignoribus] – 1.** Creditor si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denuntiare debitori suo debet, ut pignus luat, ne a se distrahatur. **2.** Fetus vel partus eius rei quae pignori data est pignoris iure non tenetur, nisi hoc inter contrahentes convenerit. **3.** Compensatio debiti ex pari specie et causa dispari admittitur: velut si pecuniam tibi debeam et tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum aut cetera huiusmodi, licet ex diverso contractu, compensare vel deducere de-

bes: si totum petas, plus petendo causa cadis.

**[2.6. De exercitoribus et institoribus]** – Filius familias si voluntate patris navem exerceat, patrem in solidum ob ea quae salva receperit obligat.

**[2.7. Ad legem Rhodiam]** – 1. Levandae navis gratia iactus cum mercium factus est, omnium intributione sarciatur, quod pro omnibus iactum est. 2. Nave vel arbore vi tempestatis amissa vectores ad contributionem tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus navis salva sit. 3. Iactu navis levata si perierit, extractis aliorum per urinatores mercibus eius quoque rationem haberi placuit, qui merces salva nave iactavit. 4. Levandae navis gratia merces in scapham transiectas atque ideo amissas intributione earum quae in navi salvae sunt refici convenit: nave autem perdita conservatae cum mercibus scaphae ratio non habetur. 5. Collatio intributionis ob iactum salva nave fieri debet.

**[2.8. De institoribus]** – 1. Sicut commoda sentimus ex actu praepositi institoris, ita et incommoda sentire debemus. Et ideo qui servum sive filium filiamve familias sive ancillam praeposuit negotio vel mercibus exercendis, eorum nomine in solidum convenitur. 2. Si quis pecuniae fenerandae agroque colendo, condendis vendendisque frugibus praepositus est, ex eo nomine quod cum illo contractum est solidum fundi dominus obligatur: nec interest, servus an liber sit. 3. Quod cum discipulis eorum, qui officinis tabernis praesunt contractum est, in magistros vel institores tabernae in solidum actio datur.

**[2.9. De in rem verso]** – 1. Servus vel filius familias si acceptam pecuniam in rem patris vel domini verterit, hoc modo: agrum puta colendo, domum fuliendo, mancipia vestiendo, mercando vel creditori solvendo vel quid tale faciendo, de in rem verso in solidum vel patrem vel dominum obligat: si tamen ob hanc causam pecunia data sit. 2. Filius familias si in id acceperit mutuam pecuniam, ut eam pro sorore sua in dotem daret, pater eius de in rem verso actione tenebitur: ipsi enim mortua in matrimonio puella repetitio dotis datur.

**[2.10. De senatus consulto Macedoniano]** – Qui filio familias contra interdictum amplissimi ordinis pecuniam mutuam crediderit, post mortem patris ex eo quod vivo patre credidit cum eo agere non potest.

**[2.11. Ad senatus consultum Velleianum]** – 1. In omni genere negotiorum et obligationum tam pro viris quam pro feminis intercedere mulieres prohibentur. 2. Mulier, quae pro tutoribus filiorum suorum indemnitate promisit, ad beneficium senatus consulti non pertinet. 3. Si decipiendi animo, vel cum sciret se non teneri, mulier pro aliquo intercesserit, exceptio ei senatus consulti non datur: actionem enim, quae in dolum mulieris competit, amplissimus ordo non excludit. 4. Procurator si mandatu mulieris pro alio intercesserit, exceptione senatus consulti velleiani adiuvatur, ne alias actio intercidat.

**[2.12. De deposito]** – 1. Deponere possumus apud alium id quod nostri iuris est vel alieni. 2. Depositum est quasi diu positum. Servandum est, quod ad breve tempus custodiendum datur. 3. Deponere videtur qui in metu ruinae incendii naufragii apud alium custodiae causa deponit. 4. Deponere videtur et is, qui suspectam habens vel minus idoneam custodiam domus vel vim latronum timens apud aliquem rem custodiendam commodat. 5. Si sacculum vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit me invito contrectaverit, et depositi et furti actio mihi in eum competit. 5a. Si ex permissu meo deposita pecunia is, penes quem deposita est, utatur, ut in ceteris bonae fidei iudiciis usuras eius nomine praestare mihi cogitur. 6. Ob res depositas dolum tantum praestari mihi cogitur. 6a. Latae culpa finis est non intellegere id quod omnes intellegunt. 7. In iudicio depositi ex mora et fructus veniunt et usurae rei depositae praestantur. 8. Si quis rem penes se depositam apud alium deposuerit, tam ipse directam, quam is qui apud eum deposuit utilem actionem depositi habere possunt. 9. Si pecuniam deposuero eaque uti tibi permisero, mutua magis videtur quam deposita, ac per hoc periculo tuo erit. 10. Si rem apud te depositam vendideris eamque postquam redemeris perdideris, semel admissa dolo perpetua depositi actione teneberis. 11. Ex causa depositi lege duodecim tabularum in duplum actio datur, edicto praetoris in simplum. 12. In causa depositi compensationi locus non est, sed res ipsa reddenda est.

**[2.13]** – 1. Debitor distractis fiduciis a creditore de superfluo adversus eum habet actionem. 1a. Si

autem tardius superfluum restituat creditor id quod apud eum depositum est, ex mora etiam usuras debitori hoc nomine praestare cogendus est. **1b.** Cum debitor gratuita pecunia utatur, potest creditor de fructibus rei sibi pigneratae ad modum legitimum usuras retinere. **2.** Quidquid creditor per fiduciarium servum quaesivit, sortem debiti minuit. **3.** Debitor creditori vendere fiduciam non potest: sed alii si velit vendere potest, ita ut ex pretio eiusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remancipatam sibi rem emptori praestet. **4.** Si per suppositam personam creditor pignus suum invito debitore comparaverit, emptio non videtur et ideo quandoque lui potest: ex hoc enim causa pignoris vel fiduciae finiri non potest. **5.** Si inter creditorem et debitorem convenerit, ut fiduciam sibi vendere non liceat, non solvete debitore creditor denunciare ei sollemniter potest et distrahere: nec enim in tali conventionione fiduciae actio nasci potest.

**[De lege commissoria]** – **6.** Si creditor rem fiduciae datam uni ex heredibus vel extraneo legaverit, adversus omnes heredes actio fiduciae competit. **7.** Si creditor rem fiduciarium fecerit meliorem, ob ea recuperanda quae impendit iudicio fiduciae debitorem habebit obnoxium. **8.** Novissimus creditor priorem oblata pecunia, quo possessio in eum transferatur, dimittere potest. Sed et prior creditor secundum creditorem, si voluerit, dimittere non prohibetur, quamquam ipse in pignore potior sit. **9.** Servus si mutuam pecuniam tempore servitutis acceperit, ex ea obligatione post manumissionem conveniri non potest.

**[2.14. De usuris]** – **1.** Si pactum nudum de praestandis usuris interpositum sit, nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter cives Romanos actio non nascitur. **2.** Usurae supra centesimam solutae sortem minuunt, consumpta sorte repeti possunt. **3.** Traiecticia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras recipere potest. **4.** Usurae, quae centesimam excedunt, per errorem solutae repeti possunt. **5.** Si quis pignora debitoris citra auctoritatem iudicantis abduxerit, violentiae crimen admittit. **5a.** Si tutor constitutus quos invenerit debitores non convenerit ac per hoc minus idonei efficiantur, vel intra sex primos menses pupillares pecunias non collocaverit, ipse in debitam pecuniam et in usuras eius pecuniae quam non feneravit convenitur. **6.** Tutor in usuras non convenitur, si pecuniam pupillarem ideo non collocavit, quod idonea nomina non habebat, cui pecunia collecetur: cuius rei contestatio apud praesidem provinciae deponenda est. **7.** Ob fenus pupillaris pecuniae per contumaciam non exercitum aut fundorum omissam comparisonem tutor, si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem coercebitur.

**[2.15. De mandatis]** – **1.** Ob subitam valetudinem, ob necessariam peregrinationem, ob inimicitiam et inanes rei actiones integra adhuc causa mandati negotio renuntiari potest. **2.** Si meis nummis mandato tuo aliquid tibi comparavero, etsi rem postea accipere nolis, mandati actio mihi adversus te competit. Non enim tantum quod impensum est, sed et usuras eius consequi possum. **3.** Certo pretio rem iussus distrahere si minoris vendiderit, mandati iudicio pretii summa poterit integrari: venditionem enim dissolvi non placuit.

**[2.16. Pro socio.]** – Sicut lucrum, ita damnum inter socios communicatur: nisi quid culpa socii vel fraude eversum sit.

**[2.17. Ex empto et vendito]** – **1.** Venditor si eius rei quam vendidit dominus non sit, pretio accepto auctoritatis manebit obnoxius: aliter enim non potest obligari. **2.** Si res simpliciter traditae evincantur, tanto venditor emptori condemnandus est, quanto si stipulatione pro evictione cavisset. **3.** Res empta mancipatione et traditione perfecta si evincatur, auctoritatis venditor duplo tenus obligatur. **4.** Distracto fundo si quis de modo mentiatur, in duplo eius quod mentitus est officio iudicis aestimatione facta convenitur. **5.** Redhibitio vitiosi mancipii intra sex menses fieri potest propter latens vitium. **6.** Si ut servum quis pluris venderet, de artificio eius vel de peculio mentitus est, actione ex empto conventus quanto minoris valuisset emptori praestare compellitur, nisi paratus sit eum redhibere. **7.** Ex die emptionis, [si pars pretii numerata sit,] et fructus et operae servorum et fetus pecorum et ancillarum partus ad emptorem pertinent. **8.** Fundum alienum mihi vendidisti: postea idem ex causa lucrativa meus factus est: competit mihi adversum te ad pretium recuperandum actio ex empto. **9.** Post rem traditam nisi emptor pretium statim exsolvat, usuras eius praestare cogendus est. **10.** Mutus emere et vendere potest: furiosus autem neque vendere neque emere potest.



**11.** Servus bona fide comparatus si ex veteri vitio fugerit, non tantum pretium dominus, sed et ea quae per fugam abstulit reddere cogitur. **12.** Cum probatio prioris fugae defecerit, servi responsioni credendum est: in se enim interrogari, non pro domino aut in dominum videtur. **13.** In contractu, qui ex bona fide descendit, instrumentorum oblatio sine causa desideratur, si quo modo veritas de fide contractus possit ostendi. **13a.** Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest: et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur. **14.** Fundus eius esse videtur, cuius nomine comparatus est, non a quo pecunia numerata est, si tamen fundus comparatori sit traditus. **15.** Heredibus debitoris adversus creditorem, qui pignora vel fiducias distraxit, nulla actio datur, nisi a testatore inchoata ad eos transmissa sit. **16.** Electo reo principali fide iussor vel heres eius liberatur. Non idem in mandatoribus observatur.

**[2.18. De locato et conducto]** – **1.** Homo liber, qui statum suum in potestate habet, et peiorem eum et meliorem facere potest: atque ideo operas suas diurnas nocturnasque locat. **2.** Fundi deterioris facti et culturae non exercitatae et aedificiorum non refectorum culpa arbitrio iudicis domino a conductore sarciri potest. **3.** Dominus horreorum effractis et compilatis horreis non tenetur, nisi custodiam eorum recepit: servi tamen eius cum quo contractum est propter aedificiorum notitiam in quaestionem peti possunt. **4.** In conducto fundo si conductor sua opera aliquid necessario vel utiliter auxerit vel aedificaverit vel instituerit, cum id non convenisset, ad recipienda ea quae impendit ex conducto cum domino fundi experiri potest. **5.** Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine iusta ac probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus locatori in id quod eius interest indemnitas servetur.

**[2.19. De nuptiis]** – **1.** Sponsalia tam inter puberes quam inter impuberes contrahi possunt. **2.** Eorum qui in potestate patris sunt sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur: contemplatio enim publicae utilitatis privatorum commodis praefertur. **3.** Inter parentes et liberos iure civili matrimonia contrahi non possunt: nec filiam sororis aut neptem uxorem ducere possumus: proneptem aetatis ratio prohibet. **4.** Adoptiva cognatio impedit nuptias inter parentes ac liberos omnimodo, inter fratres eatenus, quatenus capitis minutio non intervenit. **5.** Nec socrum nec nurum nec privignam nec novercam aliquando citra poenam incesti uxorem ducere licet, sicut nec amitam aut materteram. Sed qui vel cognatam contra interdictum duxerit, remisso mulieri iuris errore ipse poenam adulterii lege Iulia patitur, non etiam ducta. **6.** Inter servos et liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest. **7.** Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed contractum matrimonium furore non tollitur. **8.** Vir absens uxorem ducere potest: femina absens nubere non potest. **9.** Libertum, qui ad nuptias patronae vel uxoris filiaeque patroni adfectaverit, pro dignitate personae metalli poena vel operis publici coerceri placuit. **10.** Si quis officium in aliqua provincia administrat, inde oriundam vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non potest, quamvis sponsare non prohibeatur: ita scilicet, ut, si post officium depositum noluerit mulier nuptias contrahere, liceat ei hoc facere arris tantummodo redditus quas acceperat. **11.** Veterem sponsam in provincia, qua quis administrat, uxorem ducere potest, et dos data non fit caduca. **12.** Qui in provincia aliquid administrat, in ea provincia filias suas in matrimonium collocare et dotem constituere non prohibetur. **13.** Non est matrimonium, si tutor vel curatur pupillam suam intra vicesimum et sextum annum non desponsam a patre nec testamento destinatam ducat uxorem vel eam filio suo iungat: quo facto uterque infamatur et pro dignitate pupillae extra ordinem coercetur: nec interest, filius sui iuris an in patris potestate sit. **14.** Curatoris libertum eam pupillam, cuius patronus res administrat, uxorem ducere satis incivile est.

**[2.20. De concubinis]** – **1.** Eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non potest. Concubina igitur ab uxore solo dilectu separatur. **2.** Concubinam ex ea provincia, in qua quis aliquid administrat, habere potest.

**[2.21a. De mulieribus quae se servis alienis iunxerint vel ad senatus consultum Claudianum]** – **1.** Si mulier ingenua civisque Romana vel Latina alieno se servo coniunxerit, si quidem invito et denuntiante domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur ancilla. **2.** Si servo pupilli ingenua mulier se coniungat, denuntiatione tutoris efficitur ancilla. **3.** Mulier et si ..., tamen ei quae

se servo iunxerit denunciando acquirit ancillam. **4.** Procurator et filius familias et servus iussu patris aut domini denunciando faciunt ancillam. **5.** Si peculiari servo filii familias libera se mulier coniunxerit, nulla disquisitione paternae voluntatis iure sollemni decurso acquirit ancillam. **6.** Liberta sciente patrono alieni servi secuta contubernium eius qui denunciavit efficitur ancilla. **7.** Liberta si ignorante patrono servo se alieno coniunxerit, ancilla patroni efficitur ea condicione, ne aliquando ab eo ad civitatem Romanam perducatur. **8.** Filii familias servo, quem ex castrensi peculio habet, si se ingenua mulier coniunxerit, eius denuntiatione efficitur ancilla. **9.** Filia familias si invito vel ignorante patre servo alieno se iunxerit, etiam post denuntiationem statum suum retinet, quia facto filiorum peior condicio parentum fieri non potest. **10.** Filia familias si iubente patre invito domino servi alieni contubernium secuta sit, ancilla efficitur, quia parentes deteriorem filiorum condicionem facere possunt. **11.** Liberta servi patroni contubernium secuta etiam post denuntiationem in eo statu manebit, quia domum patroni videtur deserere noluisse. **12.** Errore quae se putavit ancillam atque ideo alieni servi contubernium secuta est, si postea liberam se sciens in contubernio eodem perseveraverit, efficitur ancilla. **13.** Si patrona servo liberti sui se coniunxerit, etiam denuntiatione conventam ancillam fieri non placuit. **14.** Mulier ingenua, quae se sciens servo municipum iunxerit, etiam citra denuntiationem ancilla efficitur: non item si nesciat. Nescisse autem videtur, quae comperta condicione contubernio se abstinuit, aut libertum putavit. **15.** Libera mulier contubernium eius secuta, qui plures dominos habuit, eius fit ancilla, qui prior denunciavit, nisi forte ab omnibus factum sit. **16.** Si mater servo filii se iunxerit, non tollit senatus consultum claudianum erubescendam matris etiam in re turpi reverentiam exemplo eius, quae se servo liberti sui coniunxerit. **17.** Tribus denuntiationibus conventa etsi ex senatus consulto facta videatur ancilla, domino tamen adiudicata citra auctoritatem interpositi per praesidem decreti non videtur: ipse enim debet auferre qui dare potest libertatem. **18.** Filia familias mortuo patre si in servi contubernio perseveraverit, pro tenore senatus consulti Claudiani conventa efficitur ancilla.

**[2.21b. De dotibus] – 1.** Dos aut antecedit aut sequitur matrimonium, et ideo vel ante nuptias vel post nuptias dare potest: sed ante nuptias data earum expectat adventum. **1a.** Mutus surdus caecus dotis nomine obligantur, quia et nuptias contrahere possunt. **1b.** Manente matrimonio non perditurae uxori ob has causas dos reddi potest: ut sese suosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exsilium vel in insulam relegato parenti praestet alimonia, aut ut egentem virum, fratrem sororemve sustineat. **2.** Lege Iulia de adulteriis cavetur, ne dotale praedium maritus invita uxore alienet.

**[2.22. De pactis inter virum et uxorem] – 1.** Fructus fundi dotalis constante matrimonio percepti lucro mariti cedunt, etiam pro rata anni eius, quo factum est divortium. **2.** Omnibus pactis stipulatio subici debet, ut ex stipulatu actio nasci possit.

**[2.23. De donationibus inter virum et uxorem] – 1.** Mortis causa donatio est, quae impendentis metu mortis fit, ut ortu valetudinis peregrinationis navigationis vel belli. **2.** Manumissionis gratia inter virum et uxorem donatio favore libertatis recepta est, vel certe quod nemo ex hoc fiat locupletior: ideoque servum manumittendi causa invicem sibi donare non prohibentur. **3.** Inter virum et uxorem nec per interpositam personam donatio fieri potest. **4.** Inter virum et uxorem contemplatione donationis imaginaria venditio contrahi non potest. **5.** Superstite eo qui matrimonii tempore donaverat, ante decedente cui fuerat donatum, id quod donatum est penes donatorem remanet. Quod si simul tam is cui donatum est quam is qui donavit decesserit, quaestionis decidendae gratia magis placuit valere donationem, quod donator non supervivat, qui rem condicere possit. **6.** Quocumque tempore contemplatione mortis inter virum et uxorem donatio facta est, morte secuta convalescit. **7.** Si quis uxori ea condicione donavit, ut quod donavit in dotem accipiat, defuncto eo donatio convalescit.

**[2.23a] –** Mulier si in rem viri damnum dederit, pro tenore legis aquiliae convenitur.

**[2.24. De liberis agnoscendis] – 1.** Si serva conceperit et postea manumissa pepererit, liberum parit. **2.** Si libera conceperit et ancilla facta pepererit, liberum parit: id enim favor libertatis exposcit. **3.** Si ancilla conceperit et medio tempore manumissa sit, rursus facta ancilla pepererit, liberum parit: media enim tempora libertati prodesse, non nocere possunt. **4.** Ex ea muliere natus, quae ex causa

fideicommissi manumitti debuit, si post moram libertati factam nascatur, ingenuus nascitur. **5.** Si mulier divortio facto gravidam se sciat, intra tricensimum diem viro denuntiare debet vel patri eius, ut ad ventrem inspiciendum observandumque custodes mittant: quo omisso partum mulieris omnimodo coguntur agnoscere. **6.** Si praegnantem se esse mulier non denuntiaverit vel custodes ventris missos non admiserit, liberum est patri vel avo natum non alere. Ceterum neglegentia matris, quo minus suus patri heres sit, obesse non debet. **7.** Si mulier se ex viro praegnantem neget, permittitur marito ventrem inspiciere et ventri custodes dare. **8.** Venter inspicitur per quinque obstetrices, et quod maxima pars earum denuntiaverit, pro vero habetur. **9.** Obstetricem, quae partum alienum attulit, ut supponi possit, summo supplicio adfici placuit. **10.** Necare videtur non tantum is qui partum praefocat, sed et is qui abicit et qui alimonia denegat et is qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet.

**[2.24a] – 1.** Adoptare quis nepotis loco potest, etiam si filium non habet. **2.** Eum, quem quis adoptavit, emancipatum vel in adoptionem datum iterum non potest adoptare.

**[2.25. Quemadmodum filii sui iuris efficiuntur] – 1.** Pater ab hostibus captus desinit habere filios in potestate: postliminio reversus tam filios quam omnia sui iuris in potestatem recipit, ac si numquam ab hostibus captus sit. **2.** Singulae mancipationes vel isdem vel aliis testibus fieri possunt, vel eodem die vel intermisso tempore. **3.** Emancipatio etiam die feriato fieri potest. **4.** Apud magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari et manumitti potest. **5.** Filium familias invitum emancipari non cogitur.

**[2.26. De adulteriis] – 1.** Capite secundo legis Iuliae de adulteriis permittitur patri tam adoptivo quam naturali adulterum cum filia cuiuscumque dignitatis domi suae vel generi sui deprehensum sua manu occidere. **2.** Filius familias pater si filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope est, ut non possit occidere: permitti tamen ei debet, ut occidat. **3.** Capite quinto legis Iuliae cavetur, ut adulterum deprehensum viginti horas attestando vicinos retinere liceat. **4.** Maritus in adulterio deprehensos non alios quam infames et eos qui corpore quaestum faciunt, servos etiam, excepta uxore quam prohibetur, occidere potest. **5.** Maritum, qui uxorem deprehensam cum adultero occidit, quia hoc impatientia iusti doloris admisit, lenius puniri placuit. **6.** Occiso adultero dimittere statim maritus debet uxorem atque ita triduo proximo profiteri, cum quo adultero et in quo loco uxorem deprehenderit. **7.** Inventa in adulterio uxore maritus ita demum adulterum occidere potest, si eum domi suae deprehendat. **8.** Eum, qui in adulterio deprehensam uxorem non statim dimiserit, reum lenocinii postulari placuit. **9.** Servi vero tam mariti quam uxoris in causa adulterii torqueri possunt, nec his libertas sub specie impunitatis data valebit. **10.** Duos uno tempore uxoris adulteros accusari posse sciendum est: plures vero non posse. **11.** Cum his, quae publice mercibus vel tabernis exercendis procurant, adulterium fieri non placuit. **12.** Qui masculum liberum invitum stupraverit, capite punitur. **13.** Qui voluntate sua stuprum flagitiumque impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum multatur, nec testamentum ei ex maiore parte facere licet. **14.** Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis et tertia parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coerceri: adulteris vero viris pari in insulam relegatione dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diversas insulas relegentur. **15.** Incesti poenam, quae in viro in insulam deportatio est, mulieri placuit remitti: hactenus tamen, quatenus lege Iulia de adulteriis non apprehenditur. **16.** Ancillarum sane stuprum, nisi deteriores fiant, aut per eas ad dominam adfectet, citra noxam habetur. **17.** In causa adulterii dilatio postulata impertiri non potest.

**[2.27. De excusationibus tutorum] – 1.** Inimicitiae capitales, quas quis cum patre defuncto habuit, a tutelis excusant, ne paterno inimico pupillus committatur. **2.** Ad curam eius, cuius quis tutelam administravit, invitum vocari non potest. **3.** Quinquaginta dierum septimum tantummodo ad contestandas excusationum causas pertinet: peragendo enim negotio ex die nominationis continui quattuor menses constituti sunt. **4.** Post susceptam tutelam caecus aut surdus aut mutus aut furiosus aut valetudinarius deponere tutelam potest. **5.** Paupertas, quae operi et oneri tutelae impar est, solet tribuere vacationem. **6.** Pro t ... ut est Latinus Iunianus ... codicillis ad testamentum non pertinentibus ... .

**[2.28. De potioribus nominandis]** – 1. Non recte potioem videtur nominare, qui causam nominati potioris non expresserit. 2. Potior quis esse debet non solum gradu generis, sed et substantia rei familiaris. 3. Amicos appellare debemus non levi notitia coniunctos, sed quibus fuerint in iura cum patre familias honestis familiaritatis quaesita rationibus.

**[2.29. Qui potiores nominare non possunt]** – Libertus, quem pater tutorem dedit, si minus idoneus dicatur, excusari quidem non potest, sed adiungi illi curator potest.

**[2.30. Ad orationem divi Severi]** – Dolo tutoris curatorisve detecto in duplum eius pecuniae condemnatione conveniuntur, qua minorem fraudare voluerunt.

**[2.30a]** – Postumo tutor datus non nato postumo neque tutelae, quia nullus pupillus est, neque negotiorum gestorum iudicio tenetur, quia administrasse negotia eius qui natus non esset non videtur: et ideo utilis in eum actio dabitur.

**[2.31. De furtis]** – 1. Fur est qui dolo malo rem alienam contrectat. 2. Furto genera sunt quatuor: manifesti, nec manifesti, concepti et oblati. Manifestus fur est qui in faciendo deprehensus est et qui intra terminos eius loci, unde quid sustulerat, deprehensus est, vel antequam ad eum locum quo destinaverat pervenerit. Nec manifestus fur est qui in faciendo quidem deprehensus non est, sed eum furtum fecisse negari non potest. 3. Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quaesitum et inventum est. Oblati actione is tenetur, qui rem furtivam alii obtulit, ne apud se inveniretur. 4. Furti actione is agere potest, cuius interest rem non perdidisse. 5. Concepti is agere potest, qui rem concepit et invenit. Oblati is agere potest, penes quem res concepta et inventa est. 6. Manifesti furti actio et nec manifesti et concepti et oblati heredi quidem competit, sed in heredem non datur. 7. Servus, qui furtum fecerit damnumve dederit, nisi id pro sui quantitate dominus sarcire sit paratus, noxae dedit potest. 8. Si servus furtum fecerit, deinde manumissus sit aut alienatus, cum ipso manumisso vel emptore agi potest: noxa enim caput sequitur. 9. Filius familias si furtum fecerit, deinde emancipetur, furti actio in eum datur, quia in omnibus noxa caput sequitur. 10. Non tantum qui furtum fecerit, sed etiam is, cuius ope aut consilio furtum factum fuerit, furti actione tenetur. 11. Rei hereditariae, antequam ab herede possideatur, furtum fieri non potest. 12. Qui meretricem libidinis causa rapuit et celavit, eum quoque furti actione teneri placuit. 13. Furti manifesti actio praeter quadrupli poenam ipsius rei persecutionem genere vindicationis et conditionis continet. 14. Furti concepti actio adversus eum qui obtulit tripli est poena et ipsius rei repetitio. 15. Furti quocumque genere condemnatus famosus efficitur. 16. Quaecumque in caupona vel in meritorio stabulo diversorie perierint, in exercitores eorum furti actio competit. 17. Si res vendita ante traditionem subrepta sit, emptor et venditor furti agere possunt: utriusque enim interest rem tradi vel tradere. 18. Si quid in nave rateve perierit, furti actio in exercitorem navis datur. 19. Rem pignori datam debitor creditori subtrahendo furtum facit: quam si et ipse similiter amiserit, suo nomine persequi potest. 20. Pater vel dominus de ea re, quae filio familias vel servo subrepta est, furti agere potest: interest enim ei deferri actionem, qui de peculio convenitur. 21. Si rem, quam tibi commendavi, postea subripui, furti actio competere tibi non poterit: rei enim nostrae furtum facere non possumus. 22. Qui furtum quaesiturus est, antequam quaerat, debet dicere, quid quaerat, et rem suo nomine et sua specie designare. 23. Si, cum furtum quis quaerit, damnum iniuriae dederit, actione legis aquiliae tenebitur. 24. Sive seges per furtum sive quaelibet arbores caesae sint, in duplum eius rei nomine reus convenitur. 25. Ob indicium comprehendendi furis praemium promissum iure debetur. 26. Si servum communem quis furatus sit, socio quoque actio furti dabitur. 27. Qui pro derelicto rem iacentem occupavit, furtum non committit, tametsi a domino non derelinquendi animo relicta sit. 28. Si servus furtum fecerit cum domino, praeter rei conditionem furti actio in dominum datur. 29. Fullo et sarcinator, qui polienda vel sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur, quia non in eam causam ab eo videntur accepta. 30. Frugibus ex fundo subreptis tam colonus quam dominus furti agere possunt, quia utriusque interest rem persequi. 31. Qui ancillam non meretricem libidinis causa subripuit, furti actione tenebitur, et si suppressit, poena legis Fabiae coercetur. 32. Qui tabulas cautionesve subripuit, in adscriptam summam furti actione tenebitur: nec interest, cancellatae nec ne sint, quia ex his debitum dissolutum interest comprobari.

**33.** Qui servo fugae consilium dedit, furti quidem actione non tenetur, sed servi corrupti. **34.** Res subrepta si in domini potestatem reversa sit, cessat furti actio. **35.** Qui furandi animo conclave effregit vel aperuit, sed nihil abstulit, furti actione conveniri non potest, iniuriarum potest. **36.** Qui rem suam furatur, ita demum furti actione non tenetur, si alteri ex hoc non noceatur. **37.** Servus, qui in fuga est, a domino quidem possidetur, sed dominus furti actione eius nomine non tenetur, quia in potestate eum non habet.

**[2.32. De operis libertorum]** – Egentem patronum libertus obligatione doni muneris et operarum solutus alere cogendus est pro modo facultatum suarum.

### Liber Tertius

**[3.1a] – 1.** Quotiens is, cui bonorum possessio ab altero postulata est, fuerere coeperit, magis probatum ratum eum videri habuisse: rati enim habitio ad confirmationem prioris postulati pertinet. **2.** Si is, cui ignoranti petita est bonorum possessio, decesserit, heres eius intra tempora petitionis ratam eam habere non potest.

**[3.1. De Carboniano edicto]** – Si fratri puberi controversia fiat, an pro parte impuberis differri causa debeat, variatum est: sed magis est, ut differri non debeat.

**[3.2. De bonis liberti] – 1.** In bonis liberti prior est patronus quam filius alterius patroni, itemque prior est filius patroni quam nepos alterius patroni. **2.** Libertus duos patronos heredes instituit: alter eorum vivo liberto moritur: is qui superest contra tabulas testamenti bonorum possessionem recte postulat. **3.** Libertorum hereditas in capita, non in stirpes dividitur: et ideo si unius patroni duo sint liberi et alterius quattuor, singuli viriles (id est aequales) portiones habebunt. **4.** Patronus vel patroni liberi ex parte dimidia heredes instituti aes alienum liberti pro portionibus exsolvere coguntur. **5.** Sicut testamento facto decedente liberto potestas datur patrono vel libertatis causa imposita petere vel partis bonorum possessionem, ita et cum intestato decesserit, earum rerum electio ei manet. **6.** Liberto per obreptionem adrogato ius suum patronus non amittit.

**[3.3. De lege Fabiana]** – Ea, quae in fraudem patroni a liberto quoquo modo alienata sunt, Fabiana formula tam ab ipso patrono quam a liberis eius revocantur.

**[3.4a. De testamentis] – 1.** Testamentum facere possunt masculi post impletum quartum decimum annum, feminae post duodecimum. **2.** Spadones eo tempore testamentum facere possunt, quo plerique pubescunt, id est annorum decem et octo. **3.** Filius familias, qui militavit, de castrensi peculio tam communi quam proprio iure testamentum facere potest. Castrense enim peculium est quod in castris acquiritur vel quod proficiscenti ad militiam datur. **4.** Caecus testamentum facere potest, quia accire potest adhibitos testes et audire sibi testimonium perhibentes. **4a.** Qui manus amisit, testamentum facere potest, quamvis scribere non possit. **5.** Furiosus tempore intermissi furoris testamentum facere potest. **6.** Et mulieri, quae luxuriose vivit, bonis interdici potest. **7.** Moribus per praetorem bonis interdicitur hoc modo: *quando tibi bona paterna avitaque nequitia tua disperdis liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.* **8.** Qui ab hostibus captus est, testamentum quasi servus facere non potest. Sane valet testamentum id quod ante captivitatem factum est, si revertatur, iure postliminii, aut si ibidem decedat, beneficio legis Corneliae, qua lege etiam legitimae tutelae hereditatesque firmantur. **9.** In insulam relegatus et in opus publicum ad tempus damnatus, quia retinent civitatem, testamentum facere possunt et ex testamento capere. **10.** Plures quam septem ad testamentum adhibiti non nocent. Superflua enim facta prodesse iuri tantum, nocere non possunt. **11.** In adversa corporis valetudine mente captus eodem tempore testamentum facere non potest. **12.** Prodigus recepta vitae sanitate ad bonos mores reversus et testamentum facere potest et ad testamenti sollemnia adhiberi potest. **13.** Ex his, qui ad testamentum adhibentur, si qui sint qui Latine nesciant vel non intellegant, si tamen sentiant, cui rei intersint, adhibiti non vitiant testamentum. **14.** Repetundarum damnatus nec ad testamentum nec ad testimonium adhiberi potest. **15.** Hermaphroditus an ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus incalc-

scentis ostendit. **16.** Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis et cuius testamentum signaverit.

**[3.4b. De institutione heredum] – 1.** Condicionum duo sunt genera: aut enim possibilis est, aut impossibilis: possibilis, quae per rerum naturam admitti potest, impossibilis, quae non potest: quarum ex eventu altera expectatur, altera impossibilis submovetur. **2.** Condiciones contra leges et decreta principum vel bonos mores adscriptae nullius sunt momenti: veluti *si uxorem non duxeris, si filios non susceperis, si homicidium feceris, si larvali habitu processeris* et his similia. **3.** Quotiens non apparet, qui sit heres institutus, institutio non valet: quod evenit, si testator plures amicos unius nominis habeat. **4.** Heredes aut instituti aut substituti dicuntur, instituti primo gradu, substituti secundo vel tertio scripti. **5.** Substituere quis et pure et sub condicione potest, et tam suis quam extraneis, tam puberibus quam impuberibus. **6.** In quot vult uncias testator hereditatem suam dividere potest. Impleto asse sine parte heredes instituti ad prioris assis semissem aequis portionibus veniunt. **7.** Servus alienus cum libertate heres institutus institutionem non infirmit: sed libertas ut alieno supervacue data videtur. **8.** Filio et extraneo aequis partibus heredibus institutis si praeterita ad crescat, tantum suo avocabit, quantum extraneo: si vero duo sint filii instituti, suis tertiam, extraneis dimidiam tollet. **9.** Talis postumorum institutio: *si qui post mortem meam postumi nati fuerint, heredes sunt*: si vivo eo nascantur, rumpunt testamentum. **10.** Nepos postumus, qui in locum patris succedere potest, ab avo aut heres instituendus est aut nominatim exheredandus, ne agnascendo rumpat testamentum. **10a.** Filius familias si militet, ut paganus nominatim a patre aut heres scribi aut exheredari debet, iam sublato edicto divi Augusti, quo cautum fuerat, ne pater filium militem exheredet. **11.** Qui semel constituit ad se hereditatem pertinere, ac se eius rebus immiscuit, repudiare eam non potest, etiamsi damnosa sit. **12.** Pater quotiens filio mandat adire, certus esse debet, an pro parte an ex asse, et an ex institutione an ex substitutione, et an testamento an ab intestato filius suus heres existat. **13.** Mutus pater vel dominus filio vel servo heredibus institutis magis est ut, si intellectu non careat, nutu iubere possit adire hereditatem, ut ei iure eius commodum quaeri possit: quod facile explicari possit scientia litterarum. **14.** Mutus servus iussu domini pro herede gerendo obligat dominum hereditati.

**[3.5. Ad senatus consultum Silanianum] – 1.** Hereditas eius, qui a familia occisus esse dicitur, ante habitam quaestionem adiri non potest neque bonorum possessio postulari. **2.** Occisus videtur non tantum qui per vim aut per caedem interfectus est, velut iugulatus praecipitatus, sed et is qui veneno necatus dicitur: honestati enim heredis convenit qualemcumque mortem testatoris inultam non praetermittere. **3.** Domino occiso de ea familia quaestio habenda est, quae intra tectum fuerit, vel certe extra tectum cum domino eo tempore quo occidebatur. **4.** Qui occisus dicitur, si constet eum sibi quoquo modo manus intulisse, de familia eius quaestio non est habenda, nisi forte prohibere potuit nec prohibuit. **5.** Neroniano senatus consulto cavetur, ut occisa uxore etiam de familia viri quaestio habeatur, idemque ius in uxoris familia observatur, si vir dicatur occisus. **6.** Servi, qui sub eodem tecto fuerunt, ubi dominus perhibetur occisus, et torquentur et puniuntur, etsi testamento occisi manumissi sint. Sed et hi torquentur, qui cum occiso in itinere fuerunt. **7.** Servi de proximo si, cum possent ferre, auditis clamoribus auxilium domino non tulerunt, puniuntur. **8.** Servos, qui in itinere circumdatum a latronibus dominum per fugam deseruerunt, apprehensos et torqueri et summo supplicio adfici placuit. **9.** Habebitur de familia quaestio et si heres testatorem occidisse dicatur: nec interest, extraneus an ex liberis sit. **10.** In summa tamen sciendum et de his omnibus habendam esse quaestionem, qui in suspicione quacumque ratione veniunt. **11.** In disponenda eorum quaestione, quorum dominus dicitur interemptus, hic ordo servatur, primum ut constet occisum dominum, deinde, si id liqueat, de quibus ea quaestio habenda sit, atque ita de reis inquirendis. **12.** Etsi percussor certus sit, tamen de familia habenda quaestio est, ut caedis mandator inveniri possit. **12a.** Hereditas a fisco ut indignis aufertur his primum, qui, cum suscepta re esset testatoris, apertis tabulis testamenti vel ab intestato adierunt hereditatem bonorumve possessionem acceperunt: amplius his et centum milia sestertiorum poena inrogatur. Nec refert, a quibus pater familias vel quemadmodum dicatur occisus esse. **13.** Omnibus, qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut

indignis aufertur hereditas, si nihil testamento in fraudem legis fuerit cautum. **14.** Sive falsum sive ruptum sive irritum dicatur esse testamentum, salva eorum disceptatione scriptus heres iure in possessionem mitti desiderat. **15.** Si inter heredem institutum et substitutum controversia sit, magis placet eum in possessionem rerum hereditariarum mitti, qui primo loco scriptus est. **16.** Scriptus heres ut statim in possessionem mittatur, iure desiderat. **17.** Hoc post annum impetrare non poterit. In eo testamento heres scriptus, quod neque ut oportuit oblatum nec publice recitatum est, in possessionem mitti frustra desiderat. **18.** In possessionem earum rerum, quas mortis tempore testator non possedit, heres scriptus, priusquam iure ordinario experiatur, improbe mitti desiderat.

**[3.5a]** – Litterae, quibus hereditas promittitur vel animi adfectus exprimitur, vim codicillorum non obtinent.

**[3.6. De legatis]** – **1.** Per praeceptionem uni ex heredibus nummi legati, qui domi non erant, officio iudicis familiae herciscundae a coheredibus praestabuntur. **2.** Ante heredis institutionem legari non potest: inter medias heredum institutiones, sive alter sive uterque adeat, potest. Interdum dimidium, interdum totum debetur: dimidium, si per vindicationem legatum sit: totum, si per damnationem. **3.** Post diem legati cedentem actio, quae inchoata non est, ad heredem non transmittitur. **4.** Comuni servo cum libertate et sine libertate legari potest, totumque legatum socio testatoris acquiritur. **5.** Post mortem heredis legari non potest, quia nihil ab herede heredis relinqui potest. **6.** In mortis tempus tam suae quam heredis eius legata conferri possunt hoc modo *Lucio Titio, cum morietur, do lego, aut heres meus dare damnas esto.* **7.** Per vindicationem legatum etsi nondum constituerit legatarius ad se pertinere, atque ita post apertas tabulas ante aditam hereditatem decesserit, ad heredem suum legatum transmittit. **7a.** *Illud aut illud utrum elegerit legatarius:* nullo a legatario electo decedente eo post diem legati cedentem ad heredem transmitti placuit. **8.** Si res obligata creditori, cuius causam testator non ignoravit, per damnationem legata sit, luitio ad heredis sollicitudinem spectat. **9.** Servo fataliter interempto legatarii damnum est, quia legatum nulla culpa heredis intercidit. **10.** Damnari heres potest, ut alicui domum extruat aut aere alieno eum liberet. **11.** Sinendi modo tam corporales res quam quae in iure consistunt legari possunt: et ideo debitori id quod debet recte legatur. **12.** Eius rei quae legata est exemplo heredis partem agnoscere partem repudiare legatarius non potest. **13.** Legatum nisi certae rei sit et ad certa personam deferatur, nullius est momenti. **14.** Si quis sibi et titio legatum adscripserit, magis est, ut totum legatum ad coniunctum pertineat. **14a.** Uxori legatum in alieno testamento scribere non prohibemur. **15.** Qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripserit, ut suspectus a tutela removendus est, ad quam ultro videtur adfectasse. **16.** Rem legatam testator si postea pignori vel fiduciae dederit, ex eo voluntatem mutasse non videtur. **17.** Ususfructus uniuscuiusque rei legari potest et aut ipso iure constituetur aut per heredem praestabitur: ex causa damnationis per heredem praestabitur: ipso iure per vindicationem. **18.** Furiosi et aegrotantis et infantis ususfructus utiliter relinquitur. Horum enim alius resipiscere, alius convalescere, alius crescere potest. **19.** Ancillae usufructu legato partus eius ad usufructuarium non pertinent. **20.** Gregis usufructu legato grege integro manente fetus ad usufructuarium pertinent, salvo eo, ut quidquid gregi deperierit, ex fetibus impleatur. **21.** Areae usufructu legato aedificia in ea constitui non possunt. **22.** Accessio ab alluvione ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non est, non pertinet: venationis vero et aucupii redditus ad fructuarium pertinent. **23.** Servos neque torquere neque flagellis caedere neque in eum casum facto suo perducere usufructuarium potest, quo deteriores fiant. **24.** Fructu legato si usus non adscribatur, magis placuit usumfructum videri adscriptum. Fructus enim sine usu esse non possunt. **25.** Si alteri usus, alteri fructus legatus sit, fructuarium in usu concurrat, quod in fructu usuarius facere non potest. **26.** Coniunctim duobus ususfructus do lego legatus altero mortuo ad alterum in solidum pertinebit. **27.** Usufructu legato de modo utendi cautio a fructuario solet interponi, et ideo perinde omnia se usurum, ac si optimus pater familias uteretur, fideiussoribus oblatis cavere cogitur. **27a.** Arbores vi tempestatis, non culpa fructuarii eversas ab eo substitui non placet. **27b.** Quidquid in fundo nascitur vel quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet: pensiones quoque iam antea locatorum, agrorum, si ipsae quoque specialiter comprehensae sint. Sed ad exemplum venditionis, nisi fuerint specialiter exceptae, potest usufruc-

tuarius conductorem repellere. **27c.** Caesae harundinis vel pali compendium, si in eo quoque fundi vectigal esse consuevit, ad fructuarium pertinet. **28.** Ususfructus amissus ad proprietatem recurrit. Amittitur autem quinque modis: capitis minutione, rei permutatione, non utendo, in iure cessione, domini comparatione. **29.** Capitis minutione amittitur, si in insulam fructuarius deportetur, vel si ex causa metalli servus poenae efficiatur, et si statum ex adrogatione vel adoptione mutaverit. **30.** Non utendo amittitur ususfructus, si possessione fundi biennio fructuarius non utatur, vel rei mobilis anno. **31.** Rei mutatione amittitur ususfructus, si domus legata incendio conflagraverit aut ruina perierit, licet postea restituatur. **32.** In iure cessione amittitur ususfructus, quotiens domino proprietatis eum fructuarius in iure cesserit. **33.** Finitur ususfructus aut morte aut tempore: morte, cum usufructuarius moritur: tempore, quotiens ad certum tempus ususfructus legatur, velut biennio aut triennio. **34.** Fundo vel servo legato tam fundi instrumentum quam servi peculium ad legatarium pertinet. **35.** Quaerendorum fructuum causa esse videntur, qui opus rusticum faciunt, et monitores et vilici et saltuarii: item boves aratorii, aratra, bidentes et falces putatoriae: frumentum quoque ad sementem repositum. **36.** Fructuum cogendorum causa comparata instrumento cedunt, velut corbes, alvei falces messoriae et fenariae, item molae olivariae. **37.** Conservandorum fructuum causa comparata instrumento cedunt, velut dolia, cupae, vehicula rustica, cibaria, pistores, asini, focariae: item ancillae quae vestimenta rusticis faciunt, scutra quoque et sutor continebuntur. **38.** Uxores eorum qui operantur magis est ut instrumento cedant. Pecora quoque et pastores eorum stercorandi causa parata instrumento continentur. **39.** Ea autem, quae custodiae magis causa quod ad usus patris familias eo delata sunt, instrumenti nomine non continentur. **40.** Uxores vero eorum, qui mercedes praestare consueverant, neque instructionis neque instrumenti appellatione continentur. **41.** Piscaturae vel venationis instrumentum ita demum instrumento fundi continentur, si ex his maxime fundi redditus cogantur. **42.** Fructus percepti instrumento fundi ita demum cedunt, si ibidem absumi a testatore consueverant. **43.** Fundo cum omni instrumento rustico et urbano et mancipiis quae ibi sunt legato semina quoque et cibaria debebuntur. **44.** Fundo cum omni instrumento rustico et urbano et mancipiis quae ibi sunt legato tam supellex quam amentum itemque argentum et vestes, quae ibi pater familias instruendi gratia habere solet, debebuntur: item ea mancipia, quae usui patris familias esse solent, itemque aves et pecora, quae instruendarum epularum gratia in fundo comparata sunt: exceptis his, quae ibi custodiae causa deposita sunt. **45.** Fundo legato *ita ut optimus maximisque est* retia apraria et cetera venationis instrumenta continebuntur: quae etiam ad instrumentum pertinent, si quaestus fundi ex maxima parte in venationibus consistat. **46.** Fructus, qui solo cohaerebant mortis testatoris tempore, ad legatarium pertinent: ante percepti ad heredem. **47.** Fundo legato cum mancipiis et pecoribus et omni instrumento rustico et urbano peculium actoris ante testatorem defuncti, si ex eodem fundo fuerit, magis placet ad legatarium pertinere. **48.** Actor vel colonus ex alio fundo in eodem constitutus, qui cum omni instrumento legatus erat, ad legatarium non pertinet, nisi eum ad ius eius fundi testator voluerit pertinere. **49.** Adiunctiones, quas fundo legato testator ex diversis emptionibus applicaverat, legatario cedere placuit. **50.** Instructo praedio legato fabri ferrarii, item tignarii, putatores et qui instruendi fundi gratia ibidem morabantur, legato cedunt. **51.** Instructo fundo legato libri quoque et bibliothecae quae in eodem fundo sunt legato continentur. **52.** Servos studendi gratia ex eodem fundo, qui cum mancipiis fuerat legatus, alio translato ad legatarium placuit pertinere. **53.** Fundo ita ut possederat legato mancipia tam urbana quam rustica, itemque argentum et vestes, quae eodem tempore in fundo comprehenduntur, ad legatarium pertinent. **54.** Pascualia, quae postea comparata ad fundum legatum testator adiunxerat, si eius appellatione contineantur, ad legatarium pertinent. **55.** Quidquid in eadem domo, quam instructam legavit pater familias, perpetuo instruendi gratia habuit, legatario cedit. **56.** Instructa domo legata ea legato continentur, quibus domus munitior vel tuta ab incendio praestatur: tegulae specularia et vela legato continebuntur: item amentum lecti culcitae pulvini subsellia cathedrae mensae armaria delphicae pelves conchae aquimanalia candelabra lucernae et similia quaecumque materia expressa. **57.** Domo legata balneum eius, quod publice praebetur, nisi alias separetur, legato cedit. **58.** Domo cum omni iure suo sicut instructa est legata urbana familia, item artifices et vestiarii et zetarii et



aquarii itidem domui servientes legato cedunt. **59.** Omnibus quae in domo sunt legatis cautiones debitorum rationesque servorum legato cedunt. **60.** Monilibus legatis aurum vel argentum non debetur, nisi de his quoque manifeste sensisse testatorem possit ostendi. **61.** Instrumento cauponio legato ea debentur, quae cauponis usui parata sunt, velut vasa, in quibus vinum defunditur: escarai quoque et pocularia vasa debentur. Sane ministri earum rerum legato non cedunt. **62.** Instrumento medici legato collyria et emplastra et apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itemque ferramenta legato cedunt. **63.** Instrumento pictoris legato colores penicilli cauteria et temperandorum colorum vasa debebuntur. **64.** Pistoris instrumento legato cribra asini molae et servi qui pistrinum exercent, item machinae, quibus farinae subiguntur, legato cedunt. **65.** Instrumento balneario legato balneator ipse et scamna et hypopodia, fistulae, miliaria, epitonia, rotae aquariae, iumenta quoque quibus ligna deferuntur legato cedunt. **66.** Instrumento piscatoris legato et retia et nassae et fuscinae et naviculae, hami quoque et cetera eiusmodi usibus destinata debentur. **67.** Suppellectile legata capsae armaria, nisi solum librorum aut vestis ponendae gratia paratae sint, debebuntur, sed et buxina et cristallina et argentea et vitrea vasa tam escaria quam pocularia, et vestis stratoria legato cedunt. **68.** Villis vel agris separatim legatis alterum alteri cedit. **69.** Servis *do lego* legatis ancillae quoque debebuntur: non item servi legatis ancillis: sed ancillarum appellatione tam virgines quam servorum pueri continentur: his scilicet exceptis "exceptis", qui fiduciae dati sunt. **70.** Servis amanuensibus legatis omnes qui ex conversatione urbana et in ministerio fuerint debebuntur, nisi ex his aliqui perpetuo ad opus rusticum transferantur. **71.** Venatores servi vel aucupes an inter urbana ministeria contineantur, dubium remansit: et ideo voluntatis est quaestio. Tamen si instruendarum cotidianarum epularum gratia habentur, debentur. **72.** Muliones et institores inter urbana ministeria continentur: item opsonatores et vestiarii et cellararii et cubicularii et arcarii et coqui placentarii tonsores pistorum lecticarii. **73.** Pecoribus legatis quadrupedes omnes continentur, quae gregatim pascuntur. **74.** Iumentis legatis boves non continentur: equis vero legatis equas quoque placuit contineri. Ovibus autem legatis agni non continentur, nisi annuales sint. **75.** Grege ovium legato arietes etiam continentur. **76.** Avibus legatis anseres phasiani gallinae et aviaria debebuntur: an autem phasianarii et pastores anserum, voluntatis est quaestio. **77.** Dulcibus legatis sapa, defrutum mulsum, dulce etiam vinum, palmae, caricae, uvae passae debebuntur. Sed in hoc quoque voluntatis est quaestio, quia et in specie pomorum comprehendi possunt. **78.** Frugibus legatis tam legumina quam hordeum et triticum continentur. **79.** Veste legata ea cedunt, quae ex lana et lino texta sunt: item serica et bombycina, quae tamen induti vel operiendi cingendi sternendi iniciendique causa parata sunt: pelles quoque indutoriae continebuntur. **80.** Veste virili legata ea tantummodo debentur, quae ad usum virilem salvo pudore virilitatis attinent. Stragula quoque huic legato cedunt. **81.** Muliebri veste legata omnia quae ad usum muliebrem spectant debebuntur. **82.** Lana legata, sive sucida sive lota sit sive pectinata sive versicoloria, legato cedit: purpura vero aut stamen subtemenve hoc nomine non continentur. **83.** Mundo muliebri legato ea cedunt, per quae mundior mulier lautiorque efficitur, velut speculum conchae situli, item pyxides unguenta et vasa, in quibus ea sunt: item sella balnearis et cetera huiusmodi. **84.** Ornamentis legatis ea cedunt, per quae ornatior mulier efficitur, veluti anuli catenae reticuli et cetera, quibus collo vel capite vel manibus mulieres ornantur. **85.** Argento legato massae tantummodo debebuntur: vasa enim, quae proprio nomine separantur, legato non cedunt, quia nec lana legata vestimenta debentur. **86.** Vasis argenteis legatis ea omnia continentur, quae capacitati alicui praeparata sunt, et ideo tam potoria quam escaria, item ministeria omnia debebuntur, veluti urceoli lances patinae piperataria: cochlearia quoque itemque trullae calices scyphi et his similia. **87.** Libris legatis tam chartae volumina vel membranae et philypae continentur: codices quoque debentur: librorum enim appellatione non volumina chartarum, sed scripturae modus qui certo fine concluditur aestimatur. **88.** Auro legato gemmae quoque inclusae itemque margaritae et smaragdi legato cedunt. Sed magis est voluntatis esse quaestionem: infectum enim aurum debebitur: factum enim ornamentorum genere continetur. **89.** Vasis argenteis legatis emblemata quoque ex auro infixata legato cedunt. **90.** Argento potorio legato omnia quae ad poculorum speciem comparata sunt debebuntur, veluti paterae calices scyphi urceoli oenophoria et conchae. **91.** Carruca

cum iunctura legata mulae quoque legatae, non et mulio videtur, propter cotidianam loquendi consuetudinem. **91a.** Heres servum proprium, quem testator legaverat, manumittendo nihil agit, quia scientiae vel ignorantiae eius nullam placuit admitti rationem. **91b.** Libertus, qui in priorie testamenti legatum acceperat et ingratus postea eadem scriptura a testatore appellatus est, commutata voluntate actionem ex testamento habere non potest. **92.** Prolatis codicillis vel alio testamento, quibus ademptum est legatum vel certe rescissum, perperam soluta repetuntur.

**[3.7. De mortis causa donationibus] – 1.** Mortis causa donat qui ad bellum proficiscitur et qui navigat, ea scilicet condicione, ut, si reversus fuerit, sibi restituatur, si perierit, penes eum remaneat cui donavit. **2.** Donatio mortis causa cessante valetudine et sequente sanitate, paenitentia etiam revocatur: morte enim tantummodo convalescit.

**[3.8. Ad legem Falcidiam] – 1.** Exhausta legatis aut fideicommissis vel mortis causa donationibus hereditate auxilio Falcidiae institutus heres quadrantem retinere potest. **2.** Quotiens de modo quartae retinendae quaeritur, propter periculum plus petendi officio iudicis omnibus aestimatis quarta facienda est, quae apud heredem remaneat, aut certe exigenda cautio a legatario, ut quod plus dodrante perceperit restituat. **3.** Ea, quae mater viva filio donavit, in quartam non imputantur. **3a.** Aeris alieni loco deducuntur non solum pretia eorum quibus libertas data est et eorum qui supplicio sunt adfecti, sed et eius quem praetor propter indicium proditae mortis vel detectae eorum coniurationis libertate donavit. **4.** Ex mora praestandorum fideicommissorum vel legatorum fructus et usurae peti possunt: mora autem fieri videtur, cum postulanti non datur.

**[3.9] –** Si nullae sint res hereditariae, in quas legatarii vel fideicommissarii mittantur, in rem quidem heredis mitti non possunt, sed per praetorem denegatas heredi actiones ipsi persequantur.

**[3.10] –** In bonis curatoris privilegium furiosi furiosaeve servatur: prodigus et omnes omnino, etiamsi in edicto non fit eorum mentio, in bonis curatoris decreto privilegium consequuntur.

### Liber Quartus

**[4.1. De fideicommissis] – 1.** Ab uxore, cui vir dotem praelegavit, fideicommissum relinqui non potest, quia non ex lucrativa causa testamento aliquid capit, sed proprium recipere videtur. **2.** A postumo herede instituto fideicommissum dari potest. **3.** Ab imperatore herede instituto legatum et fideicommissum peti potest. **4.** A surdo vel muto, sive legatum acceperit sive heres institutus sit vel ab intestato successerit, fideicommissum relinquitur. **4a.** A patre vel domino relictum fideicommissum, si hereditas ei non quaeratur, ab emancipato filio vel servo manumisso utiilibus actionibus postulatur: penes eos enim quaesitae hereditatis emolumentum remanet. **5.** Qui fideicommissum relinquit, etiam cum eo loqui potest cui relinquit, velut *peto, Gai Sei, contentus sis illa re, aut volo tibi illud praestari*. **6.** Fideicommittere his verbis possumus *rogo, peto, volo, mando, deprecor, cupio, iniungo. Desidero* quoque et *impero* verba utile faciunt fideicommissum. *Relinquo* vero et *commendo* nullam fideicommissi pariunt actionem. **6a.** Nutu etiam relinquitur fideicommissum, dummodo is nutu relinquat, qui et loqui potest, nisi superveniens morbus ei impedimento sit. **7.** Tam nostras res quam alienas per fideicommissum relinquere possumus: sed nostrae statim, alienae autem aestimatae aut redemptae praestantur. **8.** Si alienam rem tamquam suam testator per fideicommissum reliquerit, non relicturus, si alienam scisset, ut solet legatum, ita inutile erit fideicommissum. **9.** Testator supervivens si eam rem quam reliquerat vendiderit, extinguatur fideicommissum. **10.** Codicillis, qui testamento confirmati non sunt, adscriptum fideicommissum iure debetur. **11.** Filio quibuscumque verbis a patre fideicommissum relictum iure debetur: sufficit enim inter coniunctas personas quibuscumque verbis ut in donatione voluntas expressa. Et ideo etiam *pridie quam morietur* recte relictum videtur. **12.** In tempus emancipationis vel *cum sui iuris erit* fideicommissum relictum quocumque modo patria potestate liberato debetur. **13.** Rogati invicem sibi, si sine liberis decesserint, hereditatem restituere, altero decedente sine liberis hereditas ad eum pervenit qui supervixit: nec ex eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt. **14.** Heres ante aditam hereditatem, legatarius antequam legatum acci-

piat, fideicommissum praestare non possunt. **15.** Rem fideicommissam si heres vendiderit eamque sciens compararit, nihilo minus in possessionem eius fideicommissarius mitti iure desiderat. **16.** Quotiens libertis fideicommissum relinquitur, ad eos tantummodo placuit pertinere, qui manumissi sunt vel qui in eodem testamento libertatem intra numerum legitimum consecuti sunt. **17.** Cui ab herede fideicommissum non praestatur, non solum in res hereditarias, sed et in proprias heredis inducitur. **18.** Ius omne fideicommissi non in vindicatione, sed in petitione consistit. **19.** Fideicommissum relictum et apud eum cui relictum est ex causa lucrativa inventum extinguere placuit, nisi defunctus aestimationem quoque eius praestari voluit. **20.** Columnis aedium vel tignis per fideicommissum relictis ea tantummodo amplissimus ordo praestari voluit nulla aestimationis facta mentione, quae sine domus iniuria auferri possunt.

**[4.2. De senatus consulto Trebelliano]** – Senatus consulto Trebelliano prospectum est, ne solus heres omnibus hereditariis actionibus oneretur. Et ideo quotiens hereditas ex causa fideicommissi restituitur, actiones eius in fideicommissarium transferuntur, quia unicuique damnosam esse fidem suam non oportet.

**[4.3. De senatus consulto Pegasiano]** – **1.** Inter heredem et fideicommissarium, cui ex Pegasiano hereditas restituitur, partis et pro parte stipulatio interponitur, ut heredi instituto pro quarta actiones, pro ceteris vero portionibus fideicommissario competant. **2.** Totam hereditatem restituere rogatus si quartam retinere nolit, magis est, ut eam ex Trebelliano debeat restituere: tunc enim omnes actiones in fideicommissarium dantur. **3.** Lex Falcidia itemque senatus consultum Pegasianum deducto omni aere alieno deorumque donis quartam residuae hereditatis ad heredem voluit pertinere. **4.** Qui totam hereditatem restituit, cum quartam retinere ex Pegasiano debuisset, si non retineat, repetere eam non potest. Nec enim indebitum solvisse videtur qui plenam fidem defuncto praestare maluit.

**[4.4. De repudianda hereditate]** – **1.** Recusari hereditas non tantum verbis, sed et re potest et alio quovis indicio voluntatis. **2.** Heres per magistratus municipales ex auctoritate praesidis fideicommissario postulante hereditatem adire et restituere compellitur. **3.** Fideicommissarius si adfirmet heredem nolle adire hereditatem, absente eo interponi decretum et in possessionem mitti iure desiderat. **4.** Suspectam hereditatem adire compulsus omnia ex Trebelliano restituit.

**[4.5. De inofficiosi querella]** – **1.** Inofficiosum dicitur testamentum, quod frustra liberis exhereditatis non ex officio pietatis videtur esse conscriptum. **2.** Post factum a matre testamentum filius procreatus, non mutata ab ea cum posset voluntate, ad exemplum praeteriti inofficiosi querellam recte instituit. **3.** Testamentum, in quo imperator heres scriptus est, inofficiosum argui potest: eum enim qui leges facit pari maiestate legibus obtemperare convenit. **4.** Qui inofficiosum dicere non potest, hereditatem petere non prohibetur. **5.** Ex asse heres institutus inofficiosum dicere non potest: nec interest, exhausta nec ne sit hereditas, cum apud eum quarta aut legis Falcidiae aut senatus consulti Pegasiani beneficio sit remansura. **6.** Quartae portionis portio liberis deducto aere alieno et funeris impensa praestanda est, ut ab inofficiosi querella excludantur. Libertates quoque eam portionem minuere placet. **7.** Filius iudicio patris si minus quarta portione consecutus sit, ut quarta sibi a coheredibus citra inofficiosi querellam impleatur, iure desiderat. **8.** Pactio talis, ne de inofficioso testamento dicatur, querellam super iudicio futuram non excludet: meritis enim liberos quam pactionibus adstringi placuit. **9.** Rogatus hereditatem restituere etsi inofficiosi querellam instituerit, fideicommisso non fit iniuria: quartam enim solummodo hereditatis amittit, quam beneficio senatus consulti habere potuisset. **10.** Heres institutus habens substitutum si de inofficioso dixerit nec obtinuerit, non id ad fiscum, sed ad substitutum pertinebit.

**[4.6. De vicesima]** – **1.** Tabulae testamenti aperiuntur hoc modo, ut testes vel maxima pars eorum adhibeatur, qui signaverint testamentum: ita ut agnitis signis rupto lino aperiatur et recitetur atque ita describendi exempli fiat potestas ac deinde signo publico obsignatum in archivum redigatur, ut, si quando exemplum eius interciderit, sit, unde peti possit. **2.** Testamenta in municipiis coloniis oppidis praefectura vico castello conciliabulo facta in foro vel basilica praesentibus testibus vel honestis viris inter horam secundam et decimam diei aperiiri recitarique debebunt, exemploque sublato

ab isdem rursus magistratibus obsignari, quorum praesentia constat apertum. **2a.** Qui aliter aut alibi, quam ubi lege praecipitur, testamentum aperuerit recitaveritve, poena sestertiorum quinque milium tenetur. **3.** Testamentum lex statim post mortem testatoris aperiri voluit. Et ideo, quamvis sit rescriptis variatum, tamen a praesentibus intra triduum vel quinque dies aperiendae sunt tabulae: ab absentibus quoque intra eos dies, cum supervenerint: nec enim oportet tam heredibus et legatariis aut libertatibus quam necessario vectigali moram fieri.

**[4.7. De lege Cornelia]** – **1.** Qui testamentum falsum scripserit recitaverit subiecerit signaverit suppresserit amoverit resignaverit deleverit, poena legis Corneliae de falsis tenebitur, id est in insulam deportatur. **2.** Non tantum is, qui testamentum subiecit suppressit delevit, poena legis Corneliae coercetur, sed et is qui sciens dolo malo id fieri iussit faciendumve curavit. **3.** Testamentum supprimit, qui sciens prudensque tabulas testamenti in fraudem heredum vel legatariorum fideicommissariorum aut libertatum non profert. **4.** Supprimere tabulas videtur, qui cum habeat et proferre possit, eas proferre non curat. **5.** Codicilli quoque si lateant nec proferantur, supprimitur videbuntur. **6.** Edicto perpetuo cavetur, ut, si tabulae testamenti non appareant, de earum exhibitione interdicto reddito intra annum agi possit, quo ad exhibendum compellitur qui supprimit. Tabularum autem appellatione chartae quoque et membranae continentur.

**[4.8. De intestatorum successione]** – **1.** Intestati dicuntur, qui testamentum facere non possunt, vel ipsi linum, ut intestati decederent, abruperunt, vel ii quorum hereditas repudiata est, cuiusve condicio defecerit. **2.** Sine iure praetorio factum testamentum obiecta doli exceptione obtinebit. **2a.** Quorum testamenta rumpuntur aut inrita fiunt, ipso quidem iure testati decedunt, sed per consequentias sublato testamento intestati decedunt. **3.** Intestatorum hereditas lege duodecim tabularum primum suis heredibus, deinde agnatis et aliquando quoque gentilibus deferebatur. Sane consanguinei, quos lex non apprehenderat, interpretatione prudentium primum inter agnatos locum acceperunt. **4.** Sui heredes sunt hi: primo loco filius filia in potestate patris constituti: nec interest, adoptivi sint an naturales et secundum legem Iuliam Papiamve quaesiti: modo maneat in potestate. **5.** Qui sui heredes sunt, ipso iure heredes etiam ignorantes constituuntur, ut furiosi aut infantes et peregrinantes: quibus bonorum possessionis propter praetoriam actionem non erat necessaria. **6.** In suis heredibus adeo a morte testatoris rerum hereditariarum dominium continuatur, ut nec tutoris auctoritas pupillis nec furiosis curator sit necessarius, nisi forte solvendo sit hereditas: quamvis etiam furiosus, si resipuerit, et pupillus, si adoleverit, abstinere possint. **7.** Post mortem patris natus vel ab hostibus reversus aut ex primo secundove mancipio manumissus, cuiusve erroris causa probata, licet non fuerint in potestate, sui tamen patri heredes efficiuntur. **8.** Post filios filias ad intestatorum successionem inter suos veniunt nepotes neptes pronepotes proneptes ac deinde masculino sexu post filium descendentes, si nullus parentum impedimento ipsis in avi potestate vel proavi familia remanserit: parentes enim liberis suis, cum quibus in potestate fuerunt ipsi, ordine successionis obstant. **9.** Filii si cum nepotibus ex alio filio susceptis in familia retinentur, ad intestati patris successionem cum fratris filiis vocantur. Quibus in patris sui partem venientibus hereditas in stirpes, non in capita dividitur, ita ut unus filius et plures nepotes singulos semisses habeant. Idemque evenit, si avo ex duobus filiis impari numero nepotes successerint. **10.** Ex filia nepotes sui heredes non sunt: in avi enim materni potestate alienam familiam sequentes ipsa ratione esse non possunt. **11.** Eo tempore suus heres constituendus est, quo certum est aliquem intestatum decessisse: quod ex eventum deficientis conditionis et ortu nepotis, qui vivo avo post mortem patris natus est, definiri potest. **12.** Quem filius emancipatus suscepit vel adoptavit, sui heredis locum in avi successione, sicut ipse pater, obtinere non potest. Adoptivus tamen nec quasi cognatus bonorum possessionem eius petere potest. **13.** Si sui heredes non sunt, ad agnatos legitima hereditas pertinebit, inter quos primum locum consanguinei obtinent. Agnati autem sunt cognati virilis sexus per virilem sexum descendentes, sicut filius fratris et patruus et deinceps tota successio. **14.** Inter agnatos et cognatos hoc interest, quod in agnatis etiam cognati continentur, inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus et agnatus est et cognatus, avunculus autem cognatus tantummodo. **15.** Consanguinei sunt eodem patre nati, licet diversis matribus, qui in potestate fuerunt mortis tempore:

adoptivus quoque frater, si non sit emancipatus, et hi qui post mortem patris nati sunt vel causam probaverunt. **16.** Soror iure consanguinitatis tam ad fratris quam ad sororis hereditatem admittitur. **17.** Consanguineis non existentibus agnatis defertur hereditas, prout quis alterum gradu praecesserit: quod si plures eodem gradu consistunt, simul admittuntur. **18.** Si sint fratres defuncti et fratris filii vel nepotes fratre non existente, filius fratris nepoti praefertur. **19.** Sed si duorum fratrum sint liberi, non in stirpes, sed in capita hereditas distribuitur, scilicet ut pro numero singulorum viritum distribuatur hereditas. **20.** Feminae ad hereditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur: idque iure civili voconiana ratione videtur effectum. Ceterum lex duodecim tabularum nulla discretionem sexus cognatos admittit. **21.** In hereditate legitima successioni locus non est. Et ideo fratre decedente, antequam adeat aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non potest, quia ommissa successio proximiori defertur. **22.** Ab hostibus captus neque sui neque legitimi heredis ius amittit postliminio reversus. Quod et circa eos, qui in insulam deportantur vel servi poenae effecti sunt, placuit observari, si per omnia in integrum indulgentia principali restituantur. **23.** Pro herede gerere est destinatione futuri domini aliquid ex hereditariis rebus usurpare: et ideo pro herede gerere videtur, qui fundorum hereditariarum culturas rationesque disponit, et qui servis hereditariis, iumentis rebusve aliis utitur. **24.** Ex pluribus heredibus isdemque legitimis si qui omiserint hereditatem vel in adeundo aliqua ratione fuerint impediti, his qui adierunt vel eorum heredibus omittentium portiones ad crescent. Quod in herede instituto eum qui acceperat substitutum evenire non poterit: diversa enim causa est scripti et legitimi.

**[4.9. Ad senatus consultum Tertullianum] – 1.** Matres tam ingenuae quam libertinae cives Romanae, ut ius liberorum consecutae videantur, ter et quater peperisse sufficit, dummodo vivos et pleni temporis pariant. **2.** Quae semel uno partu tres filios edidit, ius liberorum non consequitur: non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse videtur: nisi forte per intervalla pariat. **3.** Mulier si monstruosum aliquid aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit: non sunt enim liberi, qui contra formam humani generis converso more procreantur. **4.** Partum, qui membrorum humanorum officia duplicavit, quia hoc ratione aliquatenus videtur effectum, matri prodesse placuit. **5.** Septimo mense natus matri prodest: ratio enim Pythagoraei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno aut decimo mense partus maturior videatur. **6.** Aborsus et abactus venter partum efficere non videtur. **7.** Libertina ut ius liberorum consequi possit, quater eam peperisse ut ingenuam sufficit. **8.** Latina ingenua ius quiritorium consecuta si ter peperit, ad legitimam filii hereditatem admittitur: non est enim manumissa. **9.** Ius liberorum mater habet, quae tres filios aut habet aut habuit aut neque habet neque habuit. Habet, cui supersunt: habuit quae amisit: neque habet neque habuit, quae beneficio principis ius liberorum consecuta est. **10.** Mater per fratrem excluditur et in successione frater cum sorore aequa sorte succedit. Quod si frater defuerit, mater et filiae, quantae fuerint, aequales capiunt portiones.

**[4.10] – 1.** Filii vulgo quaesiti ad legitimam matris hereditatem adspirare non prohibentur, quia pari iure, ut ipsorum hereditates matribus, ita ipsis matrum deferri debuerunt. **2.** Ad filiam ancillam vel libertam ex senatus consulto Claudiano effectam legitima matris intestatae hereditas pertinere non potest, quia neque servi neque liberti matrem civilem habere intelleguntur. **3.** Ad legitimam intestatae matris hereditatem filii cives Romani, non etiam Latini admittuntur. Cives autem Romanos eo tempore esse oportet, quo eis defertur et ab iis legitima hereditas aditur. Perinde autem matris certiores filii fiunt, non nuntio accepto, sed pro liquido comperto, quod intestata decesserit. **4.** Filius maternam hereditatem eandemque legitimam nisi adeundo quaerere non potest.

**[4.11. De gradibus] – 1a.** *Stemmata* cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior: ex superiore autem et secundo gradu transversae lineae pendent, quas omnes latiore tractatu habito in librum singularem contexuimus. **1.** Primo gradu superiori linea continentur pater mater, inferiori filius filia: quibus nullae aliae personae iunguntur. **2.** Secundo gradu continentur superiori linea avus avia, inferiori nepos neptis, transversa frater soror. Quae personae duplicantur: avus enim et avita tam ex patre quam ex matre, nepos neptis tam ex filio quam ex filia, frater soror tam ex patre quam ex matre accipiuntur. Quae personae sequentibus quoque gra-

dibus similiter pro substantia earum, quae in quoque gradu consistunt, ipso ordine duplicantur. **3.** Tertio gradu veniunt supra proavus proavia: infra pronepos proneptis: ex obliquo fratris sororisque filius filia, patruus amita, id est patris frater et soror, avunculus matertera, id est matris frater et soror. **4.** Quarto gradu veniunt supra abavus abavia: infra abnepos abneptis: ex obliquo fratris et sororis nepos neptis, frater patruelis soror patruelis, id est patrum filius filia, consobrinus consobrina, id est avunculi et materterae filius filia, amitus amita, id est amitae filius filia: itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus adcrevit patruus magnus amita magna, id est avi paterni frater et soror: avunculus magnus matertera magna, id est aviae tam paternae quam maternae frater et soror. **5.** Quinto gradu veniunt supra quidem atavus atavia: infra adnepos adneptis: ex obliquo fratris et sororis pronepos proneptis, fratris patruelis sororis patruelis amiti amitinae consobrini consobrinae filius filia, propius sobrino sobrina, id est patrum magni amitae magnae avunculi magni materterae magnae filius filia. His adcrevit propatruus proamita, hi sunt proavi paterni frater et soror: proavunculus promatertera, hi sunt proaviae paternae maternaeque frater et soror proavique materni. **6.** Sexto gradu veniunt supra tritavus tritavia. Infra trinepos trineptis: ex obliquo fratris et sororis abnepos abneptis, fratris patruelis sororis patruelis, amiti amitinae, consobrini consobrinae, patrum magni amitae magnae avunculi magni materterae magnae nepos neptis, propioris sobrino filius filia, qui consobrini appellantur. Quibus ex latere adcrevit propatrum proamita proavunculi promaterterae filius filia: abpatruus abamita, hi sunt abavi paterni frater et soror: abavunculus abmatertera, hi sunt abaviae paternae maternaeque frater et soror abavique materni. **7.** Septimo gradu qui sunt cognati recta linea supra infraque, propriis nominibus non appellantur: sed ex transversa linea continentur fratris sororisve adnepotes adneptes, consobrini filii filiaeque. **8.** Successionis idcirco gradus septem constituti sunt, quia ulterius per rerum naturam, nec nomina inveniri nec vita succedentibus prorogari potest.

**[4.12. De manumissionibus] – 1.** Servum communem unus ex dominis manumittendo Latinum facere non potest nec magis quam civem Romanum: cuius portio eo casu, quo, si proprius esset, ad civitatem Romanam perveniret, socio adcrevit. **2.** Mutus et surdus servum vindicta liberare non possunt: inter amicos tamen et per epistulam manumittere non prohibentur. Ut autem ad iustam libertatem pervenire possit, condicione venditionis excipi potest. **3.** Tormentis apud praesidem subiectus et de nulla culpa confessus ad iustam libertatem perducitur potest. **4.** Fideicommissa libertas data facto heredis non mutatur, si servum, quem manumittere iussus est, vixerit. **5.** Communem servum unus ex sociis vinciendo futurae libertati non nocebit: inter pares enim sententia clementior severiori praefertur: et certe humanae rationis est favere miserioribus, prope et innocentes dicere, quos absolute nocentes pronuntiare non possunt. **6.** Debitor creditorve servum pignoris vinciendo dediticium facere non possunt: alter enim sine altero causam pignoris deteriorem facere non potest. **7.** Servus furiosi domini vel pupilli iussu vinctus dediticiorum numero non efficitur, quia neque furiosus neque pupillus exacti consilii capax est. **8.** Non tantum si ipse dominus vinciat, nocet libertati, sed et si vinciri iubeat aut vincens procuratoris actorisve factum comprobet. Quod si, antequam sciret vinctum, solutionis eius causas approbaverit, libertati futurae vincula non nocebunt. **9.** Caeco curator dari non potest, quia ipse sibi procuratorem instituere potest.

**[4.13. De fideicommissis libertatibus] – 1.** Ea condicione heres institutus *si liberos suos emancipaverit* omnimodo eos emancipare cogendus est: pro condicione enim hoc loco emancipatio videtur adscripta. **2.** Decedente eo, a quo fideicommissa libertas relicta est, heredes eius eam praestare cogendi sunt. **3.** Decedens servis suis libertatem ita dedit: *illum et illum liberos esse volo eosque filiis meis tutores do*: impeditur fideicommissa libertas, quia pupilli sine tutoris auctoritate manumittere non possunt et habentibus tutores tutor dari non potest. Sed interim vice absentium pupilli habebuntur, ut ex decreto amplissimi ordinis primum libertas ac deinde tutela competere possit.

**[4.14. Ad legem Fufiam Caniniam] – 1.** Nominatim servi testamento manumitti secundum legem fufiam possunt. Nominatim autem manumittere intellegitur hoc modo stichus liber esto. Cum autem opsonatorem, vel qui ex ancilla illa nascetur, liberum esse volo, ex Orfitiano senatus consulto perinde libertas competit, ac si nominatim data sit: officiorum enim et artium appellatio nihil de si-

gnificatione nominum mutat: nisi forte plures sint, qui eo officio designentur: tunc enim nomen adiudendum est, ut eluceat, de quo testator sensisse videatur. **2.** Codicillis testamento confirmatis datae libertates cum his quae tabulis testamenti datae sunt concurrunt, et sine antecedant sive sequantur testamentum, novissimo loco adhibentur, quia ex testamento utraeque confirmantur. **3.** Quotiens numerus servorum propter legem Fufiam Caniniam ineundus est, fugitivi quoque, quorum semper possessio animo retinetur, computandi sunt. **4.** Lege Fufia Caninia cavetur, ut certus servorum numerus testamento manumittatur. Subductis igitur duobus usque ad decem pars dimidia, a decem usque ad triginta pars tertia, a triginta usque ad centum pars quarta, a centum usque ad quingentos pars quinta. Plures autem quam centum ex maiori numero servorum manumitti non licet.

**[4.14a]** – Nec filio patroni invito libertus natalibus suis restitui potest: quid enim interest ipsi patrono an filiis eius fiat iniuria?

### Liber Quintus

**[5.1. De liberali causa.]** – **1.** Qui contemplatione extremae necessitatis aut alimentorum gratia filios suos vendiderint, statui ingenuitatis eorum non praeiudicant: homo enim liber nullo pretio aestimatur. Idem nec pignori ab his aut fiduciae dari possunt: ex quo facto sciens creditor deportatur. Operae tamen eorum locari possunt. **2.** Veritati et origini ingenuitatis manumissio quocumque modo facta non praeiudicat. **3.** Descriptio ingenuorum ex officio fisci inter fiscalem familiam facta ingenuitati non praeiudicat. **4.** Qui metu et impressione alicuius terroris apud acta praesidis servum se esse mentitus est, postea statum suum defendenti non praeiudicat. **5.** Post susceptum liberale iudicium si adsertor causam deseruerit, in alium adsertorem omne iudicium transferri placuit: in priorem vero, quod prodendae libertatis gratia factum est, extra ordinem vindicatur: non enim oportet susceptam status causam nulla cogente necessitate destitui. **6.** Cui necessitas probandi de ingenuitate sua non incumbit, ultro si ipse probare desideret, audiendus est. **7.** Qui de ingenuitate cognoscunt, de calumnia eius, qui temere controversiam movit, ad modum exsilii possunt ferre sententiam. **8.** Tutores vel curatores pupillorum, quorum tutelam et res administraverunt, postea status quaestionem facere non possunt. **9.** Maritus uxori eidemque libertae status quaestionem inferre non prohibetur.

**[5.1a]** – **1.** Locatio vectigalium, quae calor licitantis ultra modum solitae conductionis inflavit, ita demum admittenda est, si fideiussores idoneos et cautionem is qui licitatione vicerit offerre paratus sit. **2.** Ad conducendum vectigal invitatus nemo compellitur et ideo impleto tempore conductionis elocanda sunt. **3.** Reliquatores vectigalium ad iterandam conductionem, antequam superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt. **4.** Debitorum fisci itemque rei publicae vectigalia conducere prohibentur, ne ex alia causa eorum debita onerentur: nisi forte tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere parati sint. **5.** Socii vectigalium si separatim partes administrant, alter ab altero minus idoneo in se portionem transferri iure desiderat. **6.** Quod illicite publice privatimque exactum est cum altero tanto passis iniuriam exsolvitur: per vim vero extortum cum poena tripli restituitur: amplius extra ordinem plectuntur: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicae disciplinae postulat. **7.** Earum rerum vectigal, quarum numquam praestitum est, praestari non potest. Quod si praestari consuetum indiligentia publicani omiserat, alius exercere non prohibetur. **8.** Res exercitui paratas praestationi vectigalium subici non placuit. **9.** Fiscus ab omnium vectigalium praestationibus immunis est. **9a.** Mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari consuerunt, nullam immunitatem solvendi publici vectigalis usurpare possunt. **10.** Cotem ferro subigendo necessariam hostibus quoque venumdari, ut ferrum et frumentum et sales, non sine periculo capitis licet. **11.** Agri publici, qui in perpetuum locantur, a curatore sine auctoritae principali revocari non possunt. **12.** Dominus navis si illicite aliquid in nave vel ipse vel vectores imposuerint, navis quoque fisco vindicatur. Quod si absente domino id a magistro vel gubernatore aut proreta nautave aliquo id

factum sit, ipsi quidem capite puniuntur commissis mercibus, navis autem domino restituitur. **13.** Illicitarum mercium persecutio heredem quoque adfligit. **14.** Eam rem, quae commisso vindicata est, dominus emere non prohibetur vel per se vel per alios quibus hoc mandaverit. **15.** Qui maximos fructus ex redemptione vectigalium consequuntur, si postea tanto locari non possunt, ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur.

**[5.2. De usucapione.] – 1.** Possessionem adquirimus et animo et corpore: animo utique nostro, corpore vel nostro vel alieno. Sed nudo animo adipisci quidem possessionem non possumus, retinere tamen nudo animo possumus, sicut in saltibus hibernis aestivisque contingit. **2.** Per liberarum personarum, quae in potestate nostra non sunt, acquiri nobis nihil potest. Sed per procuratorem acquiri nobis possessionem posse utilitatis causa receptum est. Absente autem domino comparata non aliter ei, quam si rata sit, quaeritur. **3.** Longi autem temporis praescriptio inter praesentes continui decennii spatio, inter absentes vicennii comprehenditur. **4.** Viginti annorum praescriptio etiam adversus rem publicam prodest ei, qui iustum initium possessionis habuit nec medio tempore interpellatus est. Actio tamen quanti eius interest adversus eos rei publicae datur, qui ea negotia defendere neglexerunt. **5.** Si post motam intra tempora quaestionem res ad novum dominum emptione transierit, nec is per viginti annos fuerit inquietatus, avelli ei possessionem non oportet.

**[5.3. De his quae per turbam fiunt] – 1.** In eos, qui per turbam seditionemve damnum alicui dederint dandumve curaverint, si quidem res pecuniaria est, aestimatione dupli sarcitur: quod si ex hoc corpori alicuius, vitae membrisve noceatur, extra ordinem vindicatur. **2.** Quidquid ex incendio ruina naufragio navique expugnata raptum susceptum suppressumve erit, eo anno in quadruplum eius rei, quam quis suppresserit celaverit rapuerit, convenitur, postea in simplum. **3.** Hi qui aedes alienas villasve expilaverint effregerint expugnaverint, si quidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniuntur. Telorum autem appellatione omnia, ex quibus saluti hominis noceri possit, accipiuntur. **4.** Receptores adgressorum itemque latronum eadem poena adficiuntur, qua ipsi latrones: sublatis enim susceptoribus grassantium cupido conquiescit. **5.** Fures vel raptores balnearum plerumque in metallum aut in opus publicum damnantur: nam nonnumquam pro frequentia admissorum iudicantis sententia temperatur. **6.** Incendiarii, qui consulto incendium inferunt, summo supplicio adficiuntur. Quod si per incuriam ignis evaserit, dupli compendio damnum eiusmodi sarciri placuit.

**[5.4. De iniuriis] – 1.** Iniuriam patimur aut in corpus aut extra corpus: in corpus verberibus et illatione stupri, extra corpus conviciis et famosis libellis, quod ex adfectu uniuscuiusque patientis et facientis aestimatur. **2.** Furiosus itemque infans adfectu doli et captu contumeliae carent: idcirco iniuriarum agi cum his non potest. **3.** Si liberis qui in potestate sunt aut uxori fiat iniuria, nostra interest vindicare: ideoque per nos actio inferri potest. Si modo is qui fecit in iniuriam nostram id fecisse doceatur. **4.** Corpori iniuria infertur, cum quis pulsatur cuive stuprum infertur aut de stupro interpellatur. Quae res extra ordinem vindicatur, ita ut pulsatio pudoris poena capitis vindicetur. **5.** Sollicitatores alienarum nuptiarum itemque matrimoniorum interpellatores et si effectu sceleris potiri non possint, propter voluntatem perniciosae libidinis extra ordinem puniuntur. **6.** Iniuriarum actio aut lege aut more aut mixto iure introducta est. Lege duodecim tabularum de famosis carminibus, membris ruptis et ossibus fractis. **7.** Moribus, quotiens factum pro qualitate sui arbitrio iudicis aestimatur, congruentis poenae supplicio vindicatur. **8.** Mixto iure actio iniuriarum ex lege Cornelia constituitur, quotiens quis pulsatur, vel cuius domus introitur ab his, qui vulgo directarii appelluntur. In quos extra ordinem animadvertitur, ita ut prius ingruentis consilium pro modo commentae fraudis poena vindicetur exilii aut metalli aut operis publici. **9.** Iniuriarum civiliter damnatus eiusque aestimationem inferre iussus famosus efficitur. **10.** Atrox iniuria aestimatur aut loco aut tempore aut persona: loco, quotiens in publico inrogatur: tempore, quotiens interdum: persona, quotiens senatori vel equiti Romano decurionive vel alias spectatae auctoritatis viro: et si plebeius vel humili loco natus senatori vel equiti Romano, decurioni vel magistratui vel aedili vel iudici, quilibet horum, vel si his omnibus plebeius. **11.** Qui per calumniam iniuriae actionem instituit, extra ordinem punitur: omnes enim calumniatores exilii vel insulae relegatione aut ordinis amissione puniri placuit. **12.** Iniuriarum non nisi praesentes accusare possunt: crimen enim, quod vindictae aut calumniae iudi-



cium expectat, per alios intendi non potest. **13.** Fit iniuria contra bonos mores, veluti si quis fimo corrupto aliquem perfuderit, caeno, luto oblinierit, aquas spurcaverit, fistulas lacus quidve aliud in iniuriam publicam contaminaverit: in quos graviter animadverti solet. **14.** Qui puero praetextato stuprum aliudve flagitium abducto ab eo vel corrupto comite persuaserit, mulierem puellamve interpellaverit, quidve pudicitiae corrumpendae gratia fecerit, donum praebuerit pretiumve, quo id persuadeat, dederit, perfecto flagitio capite punitur, imperfecto in insulam deportatur: corrupti comites summo supplicio adficiuntur. **15.** Qui carmen famosum in iniuriam alicuius vel alia quaelibet cantica, quo agnosci possit, composuerit, ex auctoritate amplissimi ordinis in insulam deportatur: interest enim publicae disciplinae opinionem uniuscuiusque a turpi carminis infamia vindicare. **16.** Psalterium, quod vulgo canticum dicitur, in alterius infamiam compositum et publice cantatum tam in eos qui hoc cantaverint quam in eos qui composuerint, extra ordinem vindicatur: eo acrius, si personae dignitas ab hac iniuria defendenda sit. **17.** In eos auctores, qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem usque ad relegationem insulae vindicatur. **18.** Convicium iudici ab appellatoribus fieri non oportet: alioquin infamia notantur. **19.** Maledictum itemque convicium publice factum ad iniuriae vindictam revocatur. Quo facto condemnatos infamis efficitur. **20.** Non tantum is, qui maledictum aut convicium ingesserit, iniuriarum convictus famosus efficitur, sed et is, cuius ope consiliove factum esse dicitur. **21.** Convicium contra bonos mores fieri videtur, si obscaeno nomine aut inferiore parte corporis nudatus aliquis insectatus sit. Quod factum contemplatione morum et causa publicae honestatis vindictam extraordinariae ultionis expectat. **22.** Servus, qui iniuriam aut contumeliam fecerit, si quidem atrocem, in metallum damnatur, si vero levem, flagellis caesus sub poena vinculorum temporalium domino restituitur.

**[5.5a. De effectu sententiarum et finibus litium] – 1.** Res iudicatae videntur ab his, qui imperium potestatemque habent vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur, itemque a magistratibus municipalibus usque ad summam, qua ius dicere possunt, itemque ab his, qui ab imperatore extra ordinem petuntur. Ex compromisso autem iudex sumptus rem iudicatam non facit: sed si poena inter eos promissum sit, poena re in iudicium deducta ex stipulatu peti potest. **2.** Confessi debitores pro iudicatis habentur, ideoque ex die confessionis tempora solutioni praestituta computantur. **3.** Confiteri quis in iudicio non tantum sua voce, sed et litteris et quocumque modo potest: convinci autem non nisi scriptura aut testibus potest. **4.** Eorum, qui debito confessi sunt, pignora capi et distrahi possunt. **5.** Ea, quae altera parte absente decernuntur, vim rerum iudicatarum non obtinent. **5a.** De unoquoque negotio praesentibus omnibus, quos causa contingit, iudicari oportet: aliter enim iudicatum tantum inter praesentes tenet. **5b.** Qui apud fiscum causam defendere saepius conventi neglexerint, rebus iudicatis subiciendi sunt. Quod eo apparet, si saepe conventi praesentiam suam facere noluerint. **6.** Trinis litteris vel edictis aut uno pro omnibus dato aut trina denuntiatione conventus nisi ad iudicem, ad quem sibi denuntiatum est aut cuius litteris vel edicto conventus est, venerit, quasi in contumacem dicta sententia auctoritatem rerum iudicatarum obtinet: quin immo nec appellari ab ea potest. **6a.** Ab ea sententia, quae adversus contumaces lata est, neque appellari necque in duplum revocari potest. **7.** Confessionem suam reus in duplum revocare non potest. **8.** Res olim iudicata post longum silentium in iudicium deduci non potest nec eo nomine in duplum revocari. Longum autem tempus exemplo longae praescriptionis decennii inter praesentes, inter absentes vicennii computatur. **9.** In causa capitali absens nemo damnatur neque absens per alium accusare aut accusari potest. **10.** Falsis instrumentis religione iudicis circumducta, si iam dicta sententia prius de crimine admissio constiterit, eius causae instauratio iure deposcitur. **11.** Ratio calculi saepius se patitur supputari atque ideo potest quocumque tempore retractari, si non longo tempore evanescat.

**[5.5b] – 1.** Pupillus si non defendatur, in possessione creditoribus constitutis minoribus ex his usque ad pubertatem alimenta praestanda sunt. **2.** Eius qui ab hostibus captus est bona venire non possunt, quamdiu revertatur.

**[5.6. De interdictis] – 1a.** Neque muri neque portae habitari sine permissu principis propter fortuita incendia possunt. **1b.** Concedi solet, ut imagines et statuae, quae ornamento rei publicae sunt

futurae, in publicum ponantur. **1.** Retinendae possessionis gratia comparata sunt interdicta, per quae eam possessionem quam iam habemus retinere volumus, quale est *uti possidetis* de rebus soli et utrobi de re mobili. Et in priore quidem is potior est, qui redditus interdicti tempore nec vi nec clam nec precario ab adversario possedit: in altero vero potior est qui maiore parte anni retrorsum numerati nec vi nec clam nec precario possedit. **2.** Ut interdictum, ita et actio proponitur, ne quis via publica aliquem prohibeat. Cuius rei sollicitudo ad viarum curatores pertinet, a quarum munitione nemo exceptus est. Si quis tamen in ea aliquid operis fecerit, quo commeantes impediuntur, demolito opere condemnatur. **3.** Non tantum si ipse dominus possessione deiciat, utile interdictum est, sed etiam si familia eius. Familiae autem nomine etiam duo servi continentur. **4.** Vi deicitur non tantum qui oppressu multitudinis aut fustium aut telorum aut armorum metu terretur, sed et is qui violentiae opinione comperta possessione cessit, si tamen eam adversarius ingressus sit. **5.** De navi vi deiectus hoc interdicto experiri non potest: sed utilis ei actio de rebus recuperandis exemplo vi bonorum raptorum datur. Idemque in eo dicendum est, qui carruca aut equo deicitur: quibus non abductis iniuriarum actio datur. **6.** Vi deiectus videtur et qui in praedio vi retinetur et qui in via territus est, ne ad fundum suum accederet. **7.** Qui vi aut clam aut precario possidet ab adversario, impune deicitur. **8.** Ex rebus vi possessis si aliquae res arserint vel servi decesserint, licet id sine dolo eius qui deiecit factum sit, aestimatione tamen condemnandus est, qui ita voluit adipisci rem iuris alieni. **8a.** Cuiuscumque fundi usufructuarius prohibitus aut deiectus de restitutione omnium rerum simul occupatarum agit: sed et si medio tempore aliquo casu interciderit usufructus, aequae de perceptis antea fructibus utilis actio tribuitur. **8b.** Si fundus, cuius usufructus petitur, non a domino possideatur, actio redditur. Et ideo si de fundi proprietate inter duos quaestio sit, fructuarius nihilo minus in possessione esse debet satque ei a possessore cavendum est, quod non sit prohibiturus frui eum, cui usufructus relictus est, quamdiu de iure suo probet. Sed si ipsi usufructuario quaestio moveatur, interim usufructus eius differtur: sed caveri de restituendo eo, quod ex his fructibus percepturus est, vel si satis non detur, ipse frui permittitur. **8c.** Si de via itinere actu aquaeductu agatur, huiusmodi cautio praestanda est, quamdiu quis de iure suo doceat non se impediturum agentem et aquam ducentem et iter facientem. Quod si neget ius esse adversario agendi aquae ducendae, cavere sine praeiudicio amittendae servitutis debet, donec quaestio finietur, non se usurum. **8d.** .... fructuarius, licet suo nomine. **8f.** .... sive ad fundum nostrum facit sive ex fundo. Servitute usus non videtur nisi is, qui suo iure uti se credidit: ideoque si quis pro via publica vel pro alterius servitute usus sit, nec interdictum nec actio utiliter competit. **9.** Si inter vicinos ex communi rivo aqua ducatur, induci prius debet, et his vicibus, quibus a singulis duci consuevit, ducenti vis fieri prohibetur: alienam autem aquam usurpanti nummaria poena inrogatur. Cuius rei cura ad sollicitudinem praesidis spectat. **10.** Redditur interdicti actio, quae proponitur ex eo, ut quis quod precarium habet restituat. Nam et civilis actio huius rei sicut commodati competit: eo vel maxime, quod ex beneficio suo unusquisque iniuriam pati non debet. **11.** Precario possidere videtur non tantum qui per epistulam vel qualibet alia ratione hoc sibi concedi postulavit, sed et is qui nullo voluntatis indicio, patiente tamen domino possidet. **12.** Heres eius, qui precariam possessionem tenebat, si in ea manserit, magis dicendum est clam videri possidere: nullae enim preces eius videntur adhibitae. Et ideo persecutio eius rei semper manebit nec interdicto locus est. **13.** Arbor, quae in alienas aedes imminet vel in vicini agrum, nisi a domino sublucari non potest, isque conveniendus est ut eam sublucet. Quod si conventus dominus id facere noluerit, a vicino luxuries ramorum compescitur: idque qualiscumque dominus facere non prohibetur. **14.** Adversus eum, qui hominem liberum vinxerit suppresserit incluserit operamve ut id fieret dederit, tam interdictum quam legis Fabiae super ea re actio redditur: et interdicto quidem id agitur, ut exhibeatur is qui detinetur, lege autem Fabia, ut etiam poena nummaria coerceatur. **15.** Bene concordans matrimonium separari a patre divus pius prohibuit, itemque a patrono libertum, a parentibus filium filiamque: nisi forte quaeratur, ubi utilius morari debeat. **16.** Omnibus bonis, quae habet quaeque habiturus est, obligatis nec concubina nec filius naturalis nec alumnus nec quae in usu cotidiano habet obligantur: ideoque de his nec interdictum redditur.

**[5.7. De obligationibus]** – 1. Obligationum firmandarum gratia stipulationes inductae sunt, quae quadam verborum sollemnitate concipiuntur, et appellatae, quod per eas firmitas obligationum constringitur stipulum enim veteres firmum appellaverunt. 2. Verborum obligatio inter praesentes, non etiam inter absentes contrahitur. Quod si scriptum fuerit instrumento promississe aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione praecedente responsum sit. 2a. Si sub una significatione diversis nominibus ea res quae in stipulatum deducitur appellatur, non infirmat obligationem, si alter altero verbo utatur. 2b. Si, qui viam ad fundum suum dari stipulatus fuerit, postea fundum partemve eius ante constitutam servitute alienaverit, evanescit stipulatio. 3. Fructuarius servus si quid ex re fructuarii aut ex operis suis acquirit, ad fructuarium pertinet. Quidquid autem aliunde vel ex re proprietarii acquirit, domino proprietatis acquirit. 4. Cum facto promissoris res in stipulatum deducta intercedit, perinde agi ex stipulatu potest, ac si ea res extaret: ideoque promissor aestimatione eius punitur, maxime si in dolum quoque eius concepta fuerit stipulatio.

**[5.8. De novationibus]** – Non solum per nosmet ipsos novamus quod nobis debetur, sed etiam per eos, per quos stipulari possumus, velut per filiam familias vel per servum iubendo vel ratum habendo. Procurator quoque noster ex iussu nostro receptum est ut novare possit.

**[5.9. De stipulationibus]** – 1. Substitutus heres ab instituto, qui sub conditione scriptus est, utiliter sibi institutum hac stipulatione cavere compellit, ne petita bonorum possessione res hereditarias deminuat: hoc enim casu ex die interpositae stipulationis duplos fructus praestare compellitur. Huius enim praeiudicium a superiore differt, quo quaeritur, an ea res de qua agitur maior sit centum sestertiis: ideoque in longiore diem concipitur. 2. Ex die accepti iudicii dupli fructus computantur. Et tam dantes quam accipientes, heredes quoque eorum, procuratores cognitorumque personae, itemque sponsores eadem stipulatione comprehenduntur: eorum quoque, quorum nomine promittitur. 3. Quotiens iudicatum solvi stipulatione satisfacitur, omnia eius actio rei iudicatae persecutionem non excludit. 4. Emancipati liberi praeteriti si velint miscere se paternae hereditati et cum his qui in potestate remanserunt communis patris dividere hereditatem, antequam bonorum possessionem petant, de conferendo cavere cum satisfactione debebunt. Quod si satisfacere non possunt, statim ex fide bonorum confusionem excepto peculio castrensi facere cogendi sunt.

**[5.10. De contrahenda auctoritate]** – 1. Ob metum impendentis damni vicino satisfacere debet datis sponsoribus super eo quod damni acciderit. 2. De communi pariete utilitatis causa hoc coepit observari, ut aedificet quidem, cuius aedificare interest, cogatur vero socius portionis suae impensas agnoscere.

**[5.11. De donationibus]** – 1. Species extra dotem a matre in honorem nuptiarum praesente filia genero traditae donationem perfecisse videntur. 2. Probatio traditae vel non traditae possessionis non tam in iure quam in facto consistit: ideoque sufficit ad probationem, si rem corporaliter teneant. 3. Pater si filio familias aliquid donaverit et in ea voluntate perseverans decesserit, morte patris donatio convalescit. 4. Cum unius rei in duos donatio confertur, potior est ille, cui res tradita est: nec interest, posterior is an prior acceperit, et exceptae nec ne personae sint. 5. Invitus donator de evictione rei donatae promittere non cogitur, nec eo nomine, si promiserit, oneratur, quia lucrativae rei possessor ab evictionis actione ipsa iuris ratione depellitur. 5a. Si pater emancipati filii nomine donationis animo pecuniam feneravit eamque filius stipulatus est, ipso iure perfectam donationem ambigi non potest. 6. Ei, qui aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, in infinitum donare non prohibetur ( si tamen donatio et non merces eximii laboris appellanda est), quia contemplationem salutis certo modo aestimari non placuit.

**[5.12. De iure fisci et populi]** – 1a. In fraudem fisci non solum per donationem sed quocumque modo res alienatae revocantur. Idemque iuris est et si non quaeratur: aequae enim in omnibus fraus punitur. 1b. Bona eorum, qui in custodia vel in vinculis vel compedibus decesserunt, heredibus eorum non auferuntur, sive testato sive intestato decesserunt. 1c. Eius bona, qui sibi mortem conscivit, non ante ad fiscum coguntur, quam prius constiterit, cuius criminis gratia manus sibi intulerit. 1. Eius bona, qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem conscivit et manus intulit, fisco vindicantur. Quod si id taedio vitae aut pudore aeris alieni vel valetudinis alicuius impatientia admisit,

non inquietabuntur, sed ordinariae successioni relinquuntur. **1d.** A debitore fisci in fraudem datas libertates retrahi placuit. Sane ipsum ita ab alio emere mancipium, ut manumittat, non est prohibitum: ergo tunc et libertatem praestare possit. **2.** Ei etiam velut indigno aufertur hereditas qui adfinem vel cognatum, cui ipse ab intestato successurus erat, testamentum facere prohibuit aut ne iure subsisteret operam dedit. **2a.** Portiones quoque eorum fisco vindicantur, qui mortem libertorum suspecto decedentium non defenderunt: omnes enim heredes vel eos qui loco heredis sunt officiose agere circa defuncti vindictam convenit. **3.** Si pater vel dominus id testamentum, quo filius eius vel servus heredes instituti sunt aut legatum acceperunt, falsum redarguant nec obtineant, fisco locus est. **4.** Aetati eius, qui accusat testamentum, si non obtineat, succurri solet in id quod ita amisit: maxime si tutoris aut curatoris consilio actio instituta sit. **4a.** Minor viginti quinque annis omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium repetere potest. **5.** In ea provincia, ex qua quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus aut calumniosus apud suos esse videatur. **6.** Quotiens sine auctoritate iudicati officiales alicuius bona occupant vel describunt vel sub observatione esse faciunt, adito procuratore iniuria submovetur et rei huius auctores ad praefectos praetorio puniendi mittuntur. **7.** Litem in perniciem privatorum fisco donari non oportet nec ab eodem donatam suscipi. **8.** Imperatorem litis causa heredem institui invidiosum est: nec enim calumniandi facultatem ex principali maiestate capi oportet. **9.** Ex nuda pollicitatione nulla actio nascitur: ideoque eius bona, qui se heredem imperatorem facturum esse iactaverat, a fisco occupare non possunt. **9a.** Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa imperatorem vindicare inverecondum est: decet enim tantae maiestati eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur. **9b.** Quod si ea bona, ex quibus imperator heres institutus est, solvendo non sint, re perspecta consulitur imperator: heredis enim instituti in adeundis vel repudiandis huiusmodi hereditatibus voluntas exploranda est. **10.** Privilegium fisci est inter omnes creditores primum locum retinere. **11.** Quicumque a fisco convenitur, non ex indice et exemplo alicuius scripturae, sed ex authentico conveniendus est, et ita, si contractus fides possit ostendi: ceterum calumniosam scripturam vim iustae petitionis in iudicio obtinere non convenit. **12.** Eius bona, qui falsam monetam percussisse dicitur, fisco vindicantur. Quod si servi ignorante domino id fecisse dicantur, ipsi quidem summo supplicio adficiuntur, domino tamen nihil aufertur, quia peiorem domini causam servi facere, nisi forte scierit, omnino non possunt. **13.** Ex his bonis, quae ad fiscum delata sunt, instrumenta vel chirographa, acta etiam ad ius privatorum pertinentia restitui postulantibus convenit. **14.** Neque instrumenta neque acta a quoquam adversus fiscum edi oportet. **15.** Ipse autem fiscus actorum suorum exempla hac condicione edit, ut is, cui describendi fit potestas, adversus se vel rem publicam his actis ne utatur: de quo cavere compellitur, ut, si usus is contra interdictum fuerit, causa cadat. **16.** Quotiens apud fiscum agitur, actorum potestas postulanda est, ut merito his uti liceat, eaque commentariensis adnotanda sunt. Quod si ea aliter proferantur, is qui ita protulerit causa cadit. **17.** Quotiens iterum apud fiscum eadem causa tractatur, priorum actorum, quorum usus non fuerat postulatus, ex officio recitatio iure poscetur. **18.** Qui pro alio a fisco conventus debitum exsolvit, non inique postulat persecutionem bonorum eius pro quo solvit: in quo etiam adiuvari per officium solet. **19.** Fiscalibus debitoribus petentibus ad comparandam pecuniam dilationem negari non placuit. Cuius rei aestimatio ita arbitrio iudicantis conceditur, ut in maioribus summis non plus quam tres, menses, in minoribus vero non plus quam duo prorogentur: prolixioris autem temporis spatium ab imperatore postulandum est. **20.** Si principalis rei bona ad fiscum devoluta sint, fideiussores liberantur: nisi forte minus idonei sint et in reliquum non exsolutae quantitatis accesserint. **21.** Si plus servatum est ex bonis debitoris a fisco distractis, iure ac merito restitui postulatur. **22.** Conductor ex fundo fiscali nihil transferre potest nec cupressi materiam vendere vel olivae non substitutis aliis ceterasque arbores pomiferas caedere: et facta eius rei aestimatione in quadruplum convenitur. **23.** Minoribus viginti quinque annis neque fundus neque vectigalia locanda sunt, ne adversus ea beneficio aetatis utantur.

**[5.13. De delatoribus] – 1.** Omnes omnino deferre alterum et causam pecuniariam fisco nuntiare prohibentur: nec refert, mares istud an feminae faciant, servi an ingenui an libertini, an suos an ex-

traneos deferant: omni enim modo puniuntur. **2.** Servi fiscales, qui causam domino proderere ac nuntiare contendunt, deferre non videntur. Subornati sane reum proderere coguntur, ne qui quod per se non potest per alium deferat. Perinde autem subornatores ac delatores puniuntur. **3.** Damnati servi, sive post sententiam sive ante sententiam dominorum facinora confessi sint, nullo modo audiuntur, nisi forte reos deferant maiestatis.

**[5.14. De quaestionibus habendis] – 1.** In criminibus eruendis quaestio quidem adhibetur: sed non statim a tormentis incipiendum est, ideoque prius argumentis quaerendum, et si suspicione aliqua reus urgeatur, adhibitis tormentis de sociis et sceleribus suis confiteri compellitur. **2.** Unius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab eo primum incipiatur, qui timidior et tenerae aetatis esse videatur. **3.** Reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in quaestionem potest, maxime si in tormenta animum corpusque duraverit. **4.** In ea causa, in qua nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facile adhibenda sunt: sed instandum accusatori, ut id quod intendat comprobet atque vincat. **5.** Testes torquendi non sunt convincendi mendacii aut veritatis gratia, nisi cum facto intervenisse dicuntur.

**[5.15. De testibus] – 1.** Suspectos gratiae testes, et eos vel maxime, quos accusator de domo prodixerit vel vitae humilitas infamarit, interrogari non placuit: in teste enim et vitae qualitas spectari debet et dignitas. **2.** In adfinem vel cognatum inviti testes interrogari non possunt. **3.** Adversus se invicem parentes et liberi, itemque liberti nec volentes ad testimonium admittendi sunt, quia rei verae testimonium necessitudo personarum plerumque corrumpit. **4.** Testes, cum de fide tabularum nihil dicitur, adversus scripturam interrogari non possunt. **5.** Qui falso vel varie testimonia dixerunt vel utrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur aut in insulam relegantur aut curia submoventur. **6.** In re pecuniaria tormenta, nisi cum de rebus hereditariis quaeritur, non adhibentur: alias autem iureiurando aut testibus explicantur.

**[5.16. De servorum quaestionibus] – 1.** Servum de facto in se interrogari posse ratio aequitatis ostendit: nec enim obesse ei debet, qui per servum aliquid sine cautione commodat vel deponit. **2.** Iudex tutelaris itemque centumviri, si aliter de rebus hereditariis vel de fide generis instrui non possunt, poterunt de servis hereditariis habere quaestionem. **3.** Servi alieni in alterius caput non nisi singuli torqueri possunt. Et hoc invito domino non est permittendum, nisi delator, cuius interest quod intendit probare, pretia eorum quanti dominus taxaverit inferre sit paratus, vel certe deterioris facti servi subire taxationem. **4.** Servo qui ultro aliquid de domino confitetur, fides non accommodatur: nec enim oportet in rebus dubiis salutem dominorum servorum arbitrio committi. **5.** Servi in caput domini neque a praeside neque a procuratore, neque in pecuniariis quam in capitalibus causis interrogari possunt. **6.** Communis servus in caput alterius ex dominis torqueri non potest. **7.** Qui servum ideo comparavit, ne in se torqueretur, restituto pretio poterit interrogari. **8.** Servus in caput eius domini, a quo distractus est cuique aliquando servivit, in memoriam prioris domini interrogari non potest. **8a.** Servus nec si a domino ad tormenta offeratur, interrogandus est. **8b.** Sane quotiens quaeritur, an servi in caput domini interrogandi sint, prius de eorum dominio oportet inquiri. **9.** Si servus ad hoc fuerit manumissus, ne torqueatur, quaestio de eo nihilo minus haberi potest. **10.** Quaestioni eius latronis, quem quis obtulit, cum de eo confitetur, fidem accommodari non convenit: nisi id forte velandae conscientiae suae gratia, quam cum reo habuit, fecisse doceatur. **11.** Neque accusator per alium accusare neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset aut rei absentia defendatur. **11a.** ... Alii propter suspicionem calumniae, ut illi qui falsum testimonium subornati dixerunt. **12.** Si pecunia data iudici reus absolutus esse dicatur idque in eum fuerit comprobatum, ea poena damnatur, qua reus damnari potuisset. **13.** In convictum reum, sive torqueri possit sive non possit, pro modo admissi sceleris statuendum est. **14.** Reis suis edere crimina accusatores cogendi sunt: scire enim oportet, quibus sint criminibus responsuri. **15.** Cognitum de criminibus praesidem oportet ante diem palam facere custodias se auditurum, ne hi, qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur: quamvis defensionem quocumque tempore postulante reo negari non oportet, adeo ut propterea et differantur et proferantur custodiae. **16.** Custodiae non solum pro tribunali, sed et de plano audiri possunt atque damnari. **17.** In pecuniariis

causis omnibus dilatio singulis causis plus semel tribui non potest: in capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duae dari possunt: sed utrumque causa cognita.

**[5.17. De abolitionibus]** – 1. Post abolitionem publicam a delatore suo reus intra tricensimum diem repeti potest, postea non potest. 2. Summa supplicia sunt crux crematio decollatio: mediocrium autem delictorum poenae sunt metallum ludus deportatio: minimae relegatio exilium opus publicum vincula. Sane qui ad gladium dantur, intra annum consumendi sunt.

**[5.18. De abactoribus]** – 1. Abactores sunt, qui unum equum, duas equas totidemque boves vel capras decem aut porcos, quinque abegerint. Quidquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum, in poena furti pro qualitate eius aut in duplum aut in triplum convenitur, vel fustibus caesus in opus publicum unius anni datur aut sub poena vinculorum domino restituetur. 2. Atroces pecorum abactores plerumque ad gladium vel in metallum, nonnumquam autem in opus publicum dantur. Atroces autem sunt, qui equos et greges ovium de stabulo vel de pascuis abigunt, vel si id saepius aut ferro conducta mano faciunt. 3. Si ea pecora, de quibus quis litigat, abegerit, ad forum remittendus est atque ita convictus in duplum vel in triplum fur ismore damnatur. 4. Qui bovem vel equum errantem quodve aliud pecus abduxerit, furem magis eius quam abactorem constitui placuit.

**[5.19. De sacrilegis]** – Qui noctu manu facta praedandi ac depopulandi gratia templum intrumpunt, bestiis obiciuntur: si vero per diem leve aliquid de templo abstulerint, vel deportantur honestiores vel humiliores in metallum damnantur.

**[5.19a]** – Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunae summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur: alias autem relegantur aut in metallum damnantur.

**[5.20. De incendiariis]** – 1. Incendiarii, qui quid in oppido praedandi causa faciunt, capite puniuntur. 2. Qui casam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum aut in opus publicum damnantur, honestiores in insulam relegantur. 3. Fortuita incendia, quae casu venti ferente vel incuria ignem supponentis ad usque vicini agros evadunt, si ex eo seges vel vinea vel olivae vel fructiferae arbores concrementur, datum damnum aestimatione sarcitur. 4. Commissum vero servorum, si domino videatur, nexae deditione sarcitur. 5. Messium sane per dolum incensores, vinearum olivarumve aut in metallum humiliores damnantur, aut honestiores in insulam relegantur. 6. Qui noctu frugiferas arbores manu facta ceciderint, ad tempus plerumque in opus publicum damnatur aut honestiores damnum sarcire coguntur vel curia submoventur vel relegantur.

**[5.21. De vaticinatoribus et mathematicis]** – 1. Vaticinatores, qui se deo plenos adsimulant, idcirco civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumpentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primum fustibus caesi civitate pelluntur: perseverantes autem in vincula publica coniciuntur aut in insulam deportantur vel certe relegantur. 2. Qui novas sectas vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur. 3. Qui de salute principis vel summa rei publicae mathematicos hariolos haruspices vaticinatores consulit, cum eo qui responderit capite punitur. 4. Non tantum divinatione quis, sed ipsa scientia eiusque libris melius fecerit abstinere. Quod si servi de salute dominorum consuluerint, summo supplicio, id est cruce, adficiuntur: consulti autem si responsa dederint, aut in metallum damnantur aut in insulam relegantur.

**[5.21a]** – 1. Si quis aliquid ex metallo principis vel ex moneta sacra furatus sit, poena metalli et exilii punitur. 2. Transfugae ad hostes vel consiliorum nostrorum renuntiatores aut vivi exuruntur aut furcae suspenduntur.

**[5.22. De seditiosis]** – 1. Auctores seditionis et tumultus vel concitatores populi pro qualitate dignitatis aut in crucem tolluntur aut bestiis obiciuntur aut in insulam deportantur. 2. Qui terminos effodiunt vel exarant arboresve terminales evertunt, si quidem id servi sua sponte fecerint, in metallum damnantur: humiliores in opus publicum, honestiores in insulam amissa tertia parte bonorum relegantur aut exulare coguntur. 3. Cives Romani, qui se iudaico ritu vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis in insulam perpetuo relegantur: medici capite puniuntur. 4. Iudaei si alienae nationis comparatos servos circumciderint, aut deportantur aut capite puniuntur. 5.

Qui nondum viripotentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur aut in exilium mittuntur. **6.** Qui se suis nummis redemptum non probaverit, libertatem petere non potest: amplius eidem domino sub poena vinculorum redditur, vel, si ipse dominus malit, in metallum damnatur.

**[5.23. Ad legem Corneliam de sicariis et veneficis] – 1.** Lex Cornelia poenam deportationis infligit ei qui hominem occiderit eiusve rei causa furtive faciendi cum telo fuerit, et qui venenum hominis necandi causa habuerit vendiderit paraverit, falsum testimonium dixerit, quo quis periret, mortisque causam praestiterit. Quae omnia facinora in honestiores poena capitis vindicari placuit, humiliores vero in crucem tolluntur aut bestiis obiciuntur. **2.** Homicida est qui aliquo genere teli hominem occidit mortisque causam praestitit. **3.** Qui hominem occiderit, aliquando absolvitur, et qui non occidit, ut homicida damnatur: consilium enim uniuscuiusque, non factum puniendum est. Ideoque qui, cum vellet occidere, id casu aliquo perpetrare non potuit, ut homicida punitur: et is, qui casu iactu teli hominem imprudenter occidit, absolvitur. **4.** Quod si in rixa percussus homo perierit, quoniam ictus quoque ipsos contra unumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in ludum aut in metallum damnantur, honestiores dimidia parte bonorum multati relegantur. **5.** Causa mortis idonea non videtur, cum caesus homo post aliquot dies officium diurnae vitae retinens decessit, nisi forte fuerit ad necem caesus aut letaliter vulneratus. **6.** Servus si plagis defecerit, nisi id dolo fiat, dominus homicidii reus non potest postulari: modum enim castigandi et in servorum coercitione placuit temperari. **7.** Qui telum tutandae salutis causa gerit, non videtur hominis occidendi causa portare. Tel, autem appellatione non tantum ferrum continetur sed omne quod nocendi causa portatum est. **8.** Qui latronem caedem sibi inferentem vel alias quemlibet stupro occiderit, puniri non placuit: alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defenderunt. **9.** Si quis furem nocturnum vel diurnum, cum se telo defenderet, occiderit, hac quidem lege non tenetur: sed melius fecerit, si eum comprehensum transmittendum ad praesidem magistratibus obtulerit. **10.** Mandatores caedis perinde ut homicidae puniuntur. **11.** Iudex, qui in caput fortunasque hominis pecuniam acceperit, in insulam bonis ademptis deportatur. **12.** Si putator, ex arbore cum ramum deiceret, non proclamavit, ut vitaretur, atque ita praeteriens eiusdem ictu perierit, etsi in legem non incurrit, in metallum datur. **13.** Qui hominem invitum libidinis aut promercii causa castravit castrandumve curavit, sive is servus sive liber sit, capite punietur, honestiores publicatis bonis in insulam deportantur. **14.** Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi id dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur: quod si ex hoc mulier aut homo perierit, summo supplicio adficiuntur. **15.** Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent defigerent obligarent, fecerint faciendave curaverint, aut cruci suffiguntur aut bestiis obiciuntur. **16.** Qui hominem immolaverint exve eius sanguine litaverint, fanum templumve, polluerint, bestiis obiciuntur, vel si honestiores sint, capite puniuntur. **17.** Magicae artis conscios summo supplicio adfici placuit, idest bestiis obici aut cruci suffigi. Ipsi autem magi vivi exuruntur. **18.** Libros magicae artis apud se neminem habere licet: et penes quoscumque reperti sint, bonis ademptis, ambustis his publice, in insulam deportantur, humiliores capite puniuntur. Non tantum huius artis professio, sed etiam scientia prohibita est. **19.** Si ex eo medicamine, quod ad salutem hominis vel ad remedium datum erat, homo perierit, is qui dederit, si honestior sit, in insulam relegatur, humilior autem capite punitur.

**[5.24. Ad legem Pompeiam de parricidiis] –** Lege Pompeia de parricidiis tenentur qui patrem matrem avum aviam fratrem sororem patronum patronam occiderint, etsi antea insuti culleo in mare praecipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur vel ad bestias dantur.

**[5.25. Ad legem Corneliam testamentariam] – 1.** Lege Cornelia testamentaria tenentur: qui testamentum quodve aliud instrumentum falsum sciens dolo malo scripserit recitaverit subiecerit suppresserit amoverit resignaverit deleverit, quodve signum adulterinum sculpsit fecerit expresserit amoverit reseraverit, quive nummos aureos argenteos adulteraverit laverit conflaverit raserit corruerit vitiaverit, vultuve principum signatam monetam praeter adulterinam reprobaverit: honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum dantur aut in crucem tollun-

tur: servi autem post admissum manumissi capite puniuntur. **1a.** Qui falsam monetam percusserint, si id totum formare noluerunt, suffragio iustae paenitentiae absolvuntur. **1b.** Accusatio suppositi partus nulla temporis praescriptione depellitur, nec interest, decesserit nec ne ea quae partum subdidisse contenditur. **2.** Qui ob falsum testimonium perhibendum vel verum non perhibendum pecuniam acceperit dederit iudicemve, ut sententiam ferat vel non ferat, corruerit corrupendumve curaverit, humiliores capite puniuntur, honestiores publicatis bonis cum ipso iudice in insulam deportantur. **3.** Falsum est, quidquid in veritate non est, sed pro vero adseveratur. **4.** Iudex, qui contra sacras principum constitutiones contrave ius publicum, quod apud se recitatum est, pronuntiat, in insulam deportatur. **5.** Qui rationes acta libellos album propositum testationes cautiones chirographa epistulas sciens dolo malo in fraudem alicuius deleverit mutaverit subiecerit subscripserit, quive aes inauraverit argentaverit, quive, cum argentum aurum poneret, aes stannumve subiecerit, falsi poena coercetur. **6.** Amplissimus ordo decrevit eas tabulas, quae publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatae triplici lino constringantur atque impositae supra linum cerae signa imprimantur, ut exteriori scripturae fidem interior servet. Aliter tabulae prolatae nihil momenti habent. **6a.** Testamentum, quod nullo iure valet, impune supprimitur: nihil est enim, quod ex eo aut petatur aut consistere possit. **7.** Qui vivi testamentum aperuerit recitaverit resignaverit, poena legis corneliae tenetur: et plerumque aut humiliores in metallum dantur aut honestiores in insulam deportantur. **8.** Si quis instrumenta litis suae a procuratore vel cognitore adversario prodita esse convicerit, tam procurator quam cognitor, si humiliores sunt, in metallum damnantur, si honestiores sunt, adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur. **9.** Qui falsis instrumentis actis epistulis rescriptis sciens dolo malo usus fuerit, poena falsi coercetur: ideoque humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam deportantur. **10.** Instrumenta penes se deposita quicumque alteri altero absente reddiderit vel adversario prodiderit, pro personae eius condicione aut in metallum damnatur aut in insulam relegatur. **11.** Qui sibi falsum nomen imposuerit, genus parentesve finxerit, quo quid alienum interciperet caperet possideret, poena legis corneliae de falsis coercetur. **12.** Qui insignibus altioris ordinis utuntur militiamque confingunt, quo quem terreant vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores deportantur. **13.** Si qui de iudicis amicitiiis vel familiaritate mentientes eventus sententiarum eius vendunt, quidve obtentu nominis eius agunt, convicti pro modo delicti aut relegantur aut capite puniuntur.

**[5.26. Ad legem Iuliam de vi publica et privata]** – **1.** Lege Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate praeditur civem Romanum antea ad populum, nunc imperatorem appellentem necaverit necarive iusserit, torserit verberaverit condemnaverit inve publica vincula duci iusserit. Cuius rei poena in humiliores capitis in honestiores insulae deportatione coercetur. **2.** Hac lege excipiuntur, qui artem ludicram faciunt, iudicati etiam et confessi et qui ideo in carcerem duci iubentur, quod ius dicenti non obtemperaverint quidve contra disciplinam publicam fecerint: tribuni etiam militum et praefecti classium alarumve, ut sine aliquo impedimento legis Iuliae per eos militare delictum coerceri possit. **3.** Lege Iulia de vi privata tenetur, qui quem armatis hominibus possessione domo villa agrove deiecerit expugnaverit obsederit clauserit, idve ut fieret homines commodaverit locaverit conduxerit: quive coetum concursum turbam seditionem incendium fecerit, funerari sepe-lirive aliquem prohibuerit, funusve eripuerit turbaverit: et qui eum, cui aqua et igni interdictum est, receperit celaverit tenuerit: quive cum telo in publico fuerit, templa portas aliudve quid publicum armatis obsederit cinxerit clauserit occupaverit. Quibus omnibus convictis, si honestiores sunt, tertia pars bonorum eripitur et in insulam relegantur: humiliores in metallum damnantur. **4.** Creditor chirographarius si sine iussu praesidis per vim debitoris sui pignora, cum non haberet obligata, ceperit, in legem Iuliam de vi privata committit. Fiduciam vero et pignora apud se deposita persequi et sine auctoritate iudicis vindicare non prohibetur.

**[5.27. Ad legem Iuliam peculatus]** – Si quis fiscalem pecuniam attrectaverit subripuerit mutaverit seu in suos usus converterit, in quadruplum eius pecuniae quam sustulit condemnatur.

**[5.28. Ad legem Iuliam repetundarum]** – Iudices pedanei si pecunia corrupti dicantur, plerum-



que a praeside aut curia submoventur aut in exilium mittuntur aut ad tempus relegantur.

**[5.29. Ad legem Iuliam maiestatis]** – 1. Lege Iulia maiestatis tenetur is, cuius ope consilio adversus imperatorem vel rem publicam arma mota sunt exercitusve eius in insidias deductus est, quive iniussu imperatoris bellum gesserit dilectumve habuerit, exercitum comparaverit sollicitaverit, deseruerit imperatorem. His antea in perpetuum aqua et igni interdicebatur: nunc vero humiliores bestiis obiciuntur vel vivi exuruntur, honestiores capite puniuntur. Quod crimen non solum facto, sed et verbis impiis ac maledictis maxime exacerbatur. 2. In reum maiestatis inquiri prius convenit, quibus opibus, qua factione, quibus hoc auctoribus fecerit: tanti enim criminis reus non obtentu adulationis alicuius, sed ipsius admissi causa puniendus est, et ideo, cum de eo quaeritur, nulla dignitas a tormentis excipitur.

**[5.30a. Ad legem Iuliam ambitus]** – Petiturus magistratus vel provinciae sacerdotium si turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus ut vis publicae reus in insulam deportatur.

**[5.30b. Ad legem Fabiam]** – 1. Lege Fabia tenetur, qui civem Romanum ingenuum, libertinum servumve alienum celaverit vendiderit vinxerit comparaverit. Et olim quidem huius legis poena nummaria fuit, sed translata est cognitio in praefectum urbis, itemque praesidis provinciae extra ordinem meruit animadversionem. Ideoque humiliores aut in metallum dantur aut in crucem tolluntur, honestiores adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur. 2. Si servus sciente domino alienum servum subtraxerit vendiderit celaverit, in ipsum dominum animadvertitur. Quod si id domino ignorante commiserit, in metallum datur.

**[5.31. De poenis militum]** – 1. Si pecunia accepta miles custodiam dimiserit, capite puniendus est. Et certe quaeritur, cuius criminis reus dimissus esse videatur. 2. Qui custodiam militi prosequenti magna manu excusserunt capite puniuntur. 3. Qui metu criminis, in quo iam reus fuerat postulatus, nomen militiae dedit, statim sacramento solvendus est. 4. Miles turbator pacis capite punitur. 5. Miles, qui ex carcere dato gladio erupit, poena capitis punitur. Eadem poena tenetur et qui cum eo quem custodiebat deseruit. 6. Miles, qui sibi manus intulit nec factum peregit, nisi impatientia doloris aut morbi luctusve alicuius vel alia causa fecerit, capite puniendus est: alias cum ignominia mittendus est.

**[5.32. Quando appellandum sit]** – Quotiens iusiurandum postulatur, eo tempore appellandum est, quo defertur, non quo iuratur.

**[5.33. De cautionibus et poenis appellationum]** – 1. Ne liberum quis et solutum haberet arbitrium retractandae et revocandae sententiae, et poenae et tempora appellatoribus praestituta sunt. Quod nisi iuste appelaverint, tempora ad cavendum in poena appellationis quinque dierum praestituta sunt. Igitur morans in eo loco, ubi appellavit, cavere debet, ut ex die acceptarum litterarum continui quinque dies computentur: si vero longius, salva dinumeratione interim quinque dies cum eo ipso quo litteras acceperit computantur. 2. Ne quis in captionem verborum in cavendo incidat, expeditissimum est poenam ipsam vel quid aliud pro ea deponere: necesse enim non habet sponso-rem quis vel fideiussorem dare aut praesens esse: et si contra eum fuerit pronuntiatum, perdit quod deposuit. 3. Quotiens in poena appellationis cavetur, tam unus quam plures fideiussores, si idonei sint, dari possunt: sufficit enim etiam per unum idoneum indemnitati poenae consuli. 4. Si plures appellant, una cautio sufficit, et si unus caveat, omnibus vincit. 5. Cum a pluribus sententiis provocatur, singulae cautiones exigendae sunt et de singulis poenis spondendum est. 6. Modus poenae, in qua quis cavere debet, specialiter in cautione exprimendus est, ut sit, in qua stipulatio committatur: aliter enim recte cavisse non videtur. 7. Adsertor si provocet, in eius modi tertiam cavere debet, quanti causa aestimata est. 8. In omnibus pecuniariis causis magis est, ut in tertiam partem eius pecuniae caveatur.

**[5.34. De litteris dimissoriis]** – 1. Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, litterae dimissoriae diriguntur, quae vulgo apostoli appellantur: quorum postulatio et acceptio intra quintum diem ex officio facienda est. 2. Qui intra tempora praestituta dimissorias non postulaverit vel acceperit vel reddiderit, praescriptione ab agendo submovetur et poenam ap-

pellationis inferre cogetur.

**[5.35. De reddendis causis appellationum]** – 1. Meritum appellationis causae capitalis et ipsam rationem status non nisi per nosmet ipsos prosequi possumus: nemo enim absens aut duci in servitute potest aut damnari. 2. Moratorias appellationes et eas, quae ab exsecutoribus et confessis fiunt, recipi non placuit. 3. Eum qui appellat cum convicio ipsius iudicis appellare non oportet: ideoque ita factum arbitrio principis vindicatur.

**[5.36. Post provocationem quid observandum est]** – 1. Quotiens possessor appellat, fructus medii temporis deponi convenit. Quod si petitor provocet, fructus in causa depositi esse non possunt nec recte eorum nomine satisfactio postulatur. 2. Si propter praedia urbana vel mancipia appelletur, pensiones eorum vel mercedes, vecturae etiam, si de navi agatur, deponi solent.

**[5.37. De meritis appellationum]** – Omnimodo ponendum est, ut, quotiens iniusta appellatio pronuntiatur, sumptus, quos dum sequeretur adversarius impendit, reddere cogatur, non simplis, sed quadruplos.